







GUALTH. VAN DOEVEREN

SPECIMEN

OBSERVATIONUM ACADEMICARUM,

AD

MONSTRORUM HISTORIAM, ANATOMEN, PATHOLOGIAM, ET ARTEM OBSTETRICIAM, PRÆCIPUE SPECTANTIUM.




GRONINGÆ ET LUGDUNI BATAV.

APUD JAC. BOLT, ET S. ET J. LUCHTMANS.

CIↃIↃCCLXV.





SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI

GUILIELMO V.

PRINCIPI ARAUSIÆ ET NASSAVIÆ, ETC. ETC. ETC.

TOTIUS REIPUBLICÆ FOEDERATORUM BELGARUM GUBERNATORI HEREDITARIO,

SUPREMO REI BELLICÆ TERRA MARIQUE IMPERATORI,

ACADEMIÆ GRONINGO-OMLANDICÆ RECTORI MAGNIFICENTISSIMO, ET CURATORI PRIMARIO,

AFFULGENTIS PATRIÆ NOSTRÆ FELICITATIS PRÆSIDIO EXOPTATISSIMO.

NEC NON

VIRIS PERILLUSTRIBUS ATQUE AMPLISSIMIS, NATALIUM SPLENDORE, ET SUMMIS IN REMPUBLICAM MERITIS, CONSPICUIS,

D. ANT. ADRIANO van IDDEKINGE,
URBIS GRONINGANÆ CUM MAXIME CONSULI; REI VENATICÆ, SERENISSIMI PRINCIPIS ARAUSIÆ NOMINE, PRÆFECTO SUMMO; COMITATUS FALCOBURGENSIS, IN TRACTU LIMBURGENSI, PRÆTORI; SOCIETATIS INDICÆ OCCIDENTALIS MODERATORI; ETC. ETC.

D. H. van SYSEN,
CIVITATIS GRONINGANÆ CUM MAXIME CONSULUM PRÆSIDI; SOCIETATIS INDICÆ OCCIDENTALIS MODERATORI; ETC. ETC.

D. G. WOLTHERS,
EJUSDEM CIVITATIS SENATORI, ETC. ETC.

D. G. ALBERDA,
DYNASTÆ IN DYXTERHUIS, ET PAGIS CIRCUMJACENTIBUS; CATARACTARUM WINSUMANARUM ET SCHAPHALSTERANARUM PRÆFECTO HEREDITARIO; AD FŒDERATI BELGII ORDINUM GENERALIUM CONSESSUM LEGATO; SOCIETATIS INDICÆ OCCIDENTALIS MODERATORI; ETC. ETC.

D. E. R. ALBERDA,
DYNASTÆ IN BLOEMERSMA; AD CONSILIUM FŒDERATI BELGII ORDINUM LEGATO; ETC. ETC.

D. L. S. RENGERS,
DYNASTÆ IN FARMSUM, ET PAGIS CIRCUMJACENTIBUS; CATARACTARUM TRIUM DELFZYLENSIUM PRÆFECTO HEREDITARIO, FARMSUMENSIUM ET OTERDUMENSIUM JUDICI AC PRÆSIDI; AD PRÆPOTENTIUM ORDINUM FŒDERATI BELGII CONSESSUM LEGATO; SOCIETATIS INDICÆ OCCIDENTALIS MODERATORI; ETC. ETC.

ACADEMIÆ NOSTRÆ
CURATORIBUS PERPETUIS,
LITERARUM FAUTORIBUS
MUNIFICENTISSIMIS.

PRIN-

PRINCEPS CELSISSIME!

VIRI PERILLUSTRES, AMPLISSIMI!

Patere, quæso, SERENISSIME PRINCEPS! ut, quod beatæ Tuæ MATRI, Reipublicæ nostræ quondam Gubernatrici exoptatissimæ, offerre non potui, Tuis oculis subjiciam Specimen laborum muneris mei academici: muneris scilicet, quod Regiæ illius Principis munificentia in me contulit, quodque Ei olim placuit blandis adeo, atque animo meo stimulum addentibus, verbis, memoria mea nunquam elapsuris, curæ meæ mandare, ut potentius mihi calcar nullum esse potuerit, ad omnes nervos in illud intendendos. Agnoscas itaque Opusculum hocce, tanquam perpetuum mei animi, pro tanto beneficio gratissimi, documentum. Accipias simul illud, precor,

ut certum pignus ſinceræ illius devotionis, qua veneror innumera iſta Majorum Tuorum in Salute, & Libertate, Patriæ noſtræ vindicandis atque tuendis, merita; non minus, quam avitas illas in TE reviviſcentes virtutes, quas dum, novo quotidie ſplendore ſe prodentes, miratur Batava Gens, ſimul, incredibili cum ardore, jamjam irradiantem, & diu exoptatum, proſpectat diem, quo Tui PATRIS, Principis illius incomparabilis, in TE collatos Honores, atque labores, ſummos, Tuis humeris ſuſcipere adgredieris. Utinam, denique, hoc qualecunque ſpecimen TE, cui æternum gloriæ decus etiam id eſt, quod in ſummo fortunarum faſtigio, Artes atque Literarum ſtudia fovere ſoleas, Fautorem mihi conciliet, atque Mæcenatem, quem, ſingulari DEI providentia, noſtra Pallas Curatorem ſalutat Primarium, & Rectorem Magnificentiſſimum!

Vos

Vos quoque patiamini, VIRI PERILLUSTRES, atque AMPLISSIMI, qui tanta cum prudentia Academiæ, non minus quam Patriæ, ſaluti invigilatis, ut, quantas Veſtro favori debeam gratias, publice hic profitear. Liceat mihi perpetuam reddere illorum, quibus me complexi eſtis, beneficiorum memoriam, Vosque precari, ut ſereno vultu accipere dignemini Libellum, Veſtro ſub umbone natum, quem Vobis dico, tanquam indubitatum teſtem ſummæ, qua Vos proſequor, obſervantiæ: hanc enim plus uno nomine Vobis debeo. Me, nempe, Juvenem ante hos undecim annos ad Academiam Veſtram pellexiſtis, Anatomicam, Chirurgicam, & Obſtetriciam, Artem docturum, & ab eo tempore publicis, æque ac privatis, beneficiis ita cumulaſtis, ut ultra omnem, quam concipere potui, ſpem, vita mihi felix hic contigerit. Annuente beata Principe

AN-

ANNA, paucis exactis mei muneris annis, augmento honorarii mei publice declarastis, operam meam Vobis haud displicuisse. Luculentioribus iterum Vestræ liberalitatis documentis haud ita pridem me afficere Vobis placuit, cum, honorifica mei muneris mutatione facta, Professionem Theoreticam, Practicam, Chemicam, & Obstetriciam, mihi demandastis, atque, singulari benevolentia, novum laborem novo præmio acceptiorem reddidistis. Quæ quidem, aliaque, quæ taceo, Vestri favoris argumenta, simul animum meum Vobis devotissimum reddiderunt, simul effecerunt, ut spartam, perquam honorificam & splendidam, alibi mihi postea oblatam, ilico abnuerim, atque Groninganæ Vestræ, cui me adstrinxeratis, labores meos denuo consecraverim. Una hac ratione Vobis, VIRI NOBILISSIMI, gratum, quem debeo, animum testificari potero, ut demandato officio satis-

ſatisfacere; & Academiæ decus, pro partibus mihi datis, promovere, perpetuo allaborem. Utinam mihi ita liceat ulterius Veſtrum mereri præſidium, & dulce decus!

DEUS T. O. M. ſoſpites conſervet VOS, PRINCEPS CELSISSIME, & VIRI PERILLUSTRES, inque Vobis Salutem noſtram, ut, incolumitati Patriæ, atque Academiæ, tuendæ diutiſſime præfecti, ſeri in cœlum redeatis! Quæ equidem vota ſincero animo nuncupare nunquam deſinam, Vobis

CELSISSIME PRINCEPS!

VIRI PERILLUSTRES, AMPLISSIMI!

deditiſſimus

GUALTHERUS VAN DOEVEREN.

**

PRÆFATIO.

Tandem, Benevole Lector, in lucem prodit Specimen hocce Observationum Academicarum: sed tardius, quam optaveram, exspectaveramque, promissa absolvo. Ab anno enim CIↃIↃCCLXI apud animum jam constitui, publice exponere Anatomen Agni Bicipitis, in Theatro nostro Anatomico institutam, & notabilia multa exhibentem; atque simul, ut utile dulci miscerem, ipsi adnectere nonnullas Observationes, selectas ex satis numerosis, quas frequentissima Praxis Medica, & Obstetricia, non minus quam Anatomici, atque Medici forensis, munus, mihi suppeditaverant.

Illudque consilium, uti Amicis meis, Aliisque, ab eo tempore expositum, ita quoque, haud ita diu post, edendi labor a me susceptus fuit. Non dubito itaque fore plerosque, qui mirentur, parvæ molis libelli diuturnam moram: neque diffiteor, non parum mihi ipsi sæpius molesta fuisse ea obstacula, quæ in hunc usque diem me impediverunt, quominus operis incepti terminum attingerem. Unicum in hac laboris tarditate solatium sæpe quæsivi in vulgari isto, *Sat cito, si sat bene.* Moræ tamen illius culpa non omnis in me est. Quicunque frequentes diversissimorum meorum laborum interpellationes noverint; illive, quos experientia docuerit, quam arduum

Me-

Medico opus ſit, Libri editionem parare inter exercitia Academica non tantum, verum & Praxeos perpetuas occupationes; facile me excuſatum habebunt. Acceſſit dein quoque Muneris mei Academici permutatio, quæ novos, eosque inſolitos, meis humeris, impoſuit labores, neque parum ad differendam harum obſervationum editionem contulit: effecitque, ut omnino notandum hic ſit, nonnulla Capita, maxime II, VI, & VII, ita eſſe legenda, tanquam A. CIↃIↃCCLXIII conſcripta, & impreſſa.

In hoc opuſculo conſcribendo, ad delectantem reſpexi varietatem. Potuiſſem Libri volumen inſigniter adaugere, ſi plurimas, quæ mihi occurrerunt, obſervationes notabiles, ex ſchedis meis deſcribere voluiſſem. Selegi autem tantummodo illas, quas Capita ſequentia continent, utpote mihi magis ſingulares viſas, easque expoſui, ut pro captu Lectoris ſua fata haberent. Erunt certe, quæ nonnullis appareant minus, quam mihi, momentoſæ: non dubito tamen, quin inter illas occurrant aliæ, quæ raritate, & grata novitate, ſeſe commendent: imo eſt quod ſperem, alias Lectori obvias futuras eſſe, quarum haud ſpernenda utilitas redundet in eas Diſciplinæ Medicæ partes, quas dictat hujus Speciminis titulus. Semper enim opinatus fui, utile niſi ſit, quod facimus, ſtultam eſſe gloriam: neque facile ab hac ſententia deflecti me patiar.

In Obſervationum deſcriptione ſummam adhibui fidem, propriorum Errorum ne quidem immemor. Sterilem tamen hiſtoriarum narrationem exoſus, nonnunquam ratiocinationi aliquantum indulſi, quando facti hiſtoria nonnullis meditationibus facilem ſuppeditabat anſam. Alias etiam factum eſt, ut pro rei opportunitate, generalibus ſub titulis, intermiſcuerim nonnulla, ſimilitudine quadam, vel probatione, Capitis materiem ſpectantia. Aliquando etiam luſus erat animo dandus, ad cogitandum ut melius rediret ſibi. Quod Caput XIV adjecerim, videri poterit in illius fronte, veritatis amore factum eſſe.

Figuras additas minus perfectas eſſe, quam hodie ſummorum Virorum, interque eos Principis Anatomicorum B. S. ALBINI, exemplum requirebat, lubens fateor: pro delineatione enim uti debui Artifice, rerum anatomicarum plane imperito, & operi non aſſueto, eumque manuducere, ipſe delineandi artem non doctus: Sculptore autem ſatis quidem perito, aſt in remota urbe degente, ideoque delineatis figuris adſtricto, & mentem meam in omnibus non facile aſſequuto. In his itaque pro laude veniam peto, ſi neque elegantia, neque exacta rei expreſſione, ſæculi noſtri perfectioni reſpondeant.

Hæcce ergo benevolo animo, quali a me offeruntur, B. L. accipe, atque iis utere. Scribebam Groningæ, a. d. XXX Martii CIƆIƆCCLXV.

SPE-

SPECIMEN OBSERVATIONUM ACADEMICARUM

AD MONSTRORUM HISTORIAM, ANATOMEN, PATHOLOGIAM ET ARTEM OBSTETRICIAM PRÆCIPUE SPECTANTIUM.

CAPUT I.

Anatome Agni Bicipitis monstrosi, recens nati: nec non singularium maxime partium delineatarum expositio.

§. I.

Ad finem mensis Februarii CIƆIƆCCLX prope oppidum Delfzyl in Agro Groningo-Omlandico natus est *Agnus Biceps*, qui cum offerretur clarissimo nostro Philosopho N. ENGELHARD, amicitiâ conjunctissimi Collegæ in meas pervenit manus: pervenit autem illo tempore, quo mediis iisque non interrumpendis Anatomicis Demonstrationibus in cadavere humano incumbebam. Monstrum ta-

men hoc ne examini anatomico ſubjicerem a me impetrare non potui, ſed præſentibus Auditoribus meis in Theatro Anatomico diſſecare & publice demonſtrare apud animum mox conſtitui. Obſervata deinceps & demonſtrata cum conſcriberem & delineari curarem, multa exhibere mihi videbantur valde ſingularia & notabilia ad Monſtrorum Hiſtoriam ſpectantia, neque minus pulcra, ſummam Auctoris Naturæ ſapientiam & providentiam arguentia æque in illis, quos Luſus naturæ vocare ſolemus, ac in firmo iſto & ſtabili ordine, quo pleraque animantia, ſuâ ſpecie perfecta, producere ex ſeminibus Ipſi placet. Non ingratum itaque illis, qui ſacris hiſce delectantur, fore arbitror, quum hoc Capite & ſubnexis ipſi Figuris inventa in Monſtro memorato ea exhibuerim, quæ ſimplici ſectione ſeſe obtulerunt. Doleo autem non parum, me nonnulla accurato magis ſcrutinio indagare haud potuiſſe, quam quo tradita cernuntur: omnia quippe ſecare debui, obſervare, demonſtrare, delineare, temporis ſpatio, quo publicæ Demonſtrationes in humano corpore, Prælectiones domeſticæ & Praxis clinica me vehementer occupatum tenebant; eaque obſervare in recens nato tali animalculo, tenero, jam aliquot ante diebus in lucem edito, hancque ob cauſam, uti & propter moram in delineandis partibus illis interponendam, maxime in corruptionem tendente: factum inde fuit, ut omnia, quæ forte quis magnâ curioſitate in hac Deſcri-

ſcriptione quæret, tam accurate, quam quidem ille deſideraret, & ipſe optarem, nequaquam perquirere & delineare potuerim.

§. II. Præmittenda in expoſitione illa cenſebam, quæ Externum corporis habitum ſpectabant. Agnus biceps noſter ſingula membra inter ſe proportionata eâque prædita magnitudine habebat, qua ſolent partes agni recens nati prodire. Legitimo tempore cum duobus aliis partu excluſus vix ulla vitæ indicia præbuit, ipſo fere momento, quo luminis auras ſalutaverat, fato functus: mortis hujus ſubitaneæ cauſa, cum ex internâ organorum diſpoſitione nequaquam pateret, mihi quærenda viſa fuit in tetro, ſed in brutorum genere haud frequenter obſervato malo, homines recens natos, proh dolor! ſæpius aggrediente, Spinâ nempe Bifidâ, quae occurrit in Lumborum Vertebris, duos ultra pollices longa, hiantibus ſpinoſis vertebrarum earum proceſſibus corruptâque Medullâ Spinali facta, quam loco communium tegumentorum veſtiebat membrana tenuis, rubella, facillime tranſitum admittens ad dilatatum vertebrarum canalem. Nulla alia in toto corporis ambitu aderat læſio, cui adſcribi poſſet iſta Mors: omnia vero bene ſeſe habebant externa.

§. III. *Capita* in hoc Animali aderant omnino *duo*, a ſe invicem plane diſtincta & remota, omnibus propriis partibus donata (vid. Tab. I. BB): in his nihil ſingulare obſer-

vandum occurrit, nisi quod latera, quibus se respiciebant, interna insigniter applanata essent, ita ut, cum unum alteri applicaretur, duo ista capita commode speciem cunei referrent; quo fiebat, ut aperturæ pelvis osseæ matris facilius accommodari potuerint, partumque reddiderint multo faciliorem. Neque id tantum compressione in utero vel in ipso partu ita exortum fuisse casu fortuito, sed jam antea in ipso fetus incremento juxta prædefinitum scopum factum, docuit laterum externorum solita convexitas, & insignis ossium jugalium & marginum orbitalium protuberantia, in oppositis longe depressior.

§. IV. *Colla* itidem *duo*, cuilibet capiti unum, ita manifesto a se invicem separata, ut externa quoque integumenta profunde distincta essent, & integrum cuique collo præberent involucrum: sed ulterius ad mediam circiter longitudinem tegumenta illa continua erant & utrique communia, divisione istâ collorum integrâ, paulo magis protractâ in anteriore facie, quam in posteriore: poterat autem extus facile ope tactus internosci, divisionem vertebrarum & collorum distinctionem usque ad pectus procedere (Tab. I. C 3): inde fluebat, quod fabrica illa cutis non impediret ullo modo, quominus liberrimi iique distincti utriusque colli & capitis peragi possent motus. Præter capita & colla reliqua omnia membra numero & magnitudine aderant naturali, simplicia aut duplicia prouti in uno ani-

animali obſervari ſolent; v. g. unum pectus, abdomen, cauda, artus anteriores duo, totidem poſteriores &c.

§. V. Conſpectis iis, quæ extus notanda occurrebant, priusquam ad ipſam Monſtri Anatomen & internarum partium contemplationem tranſeamus, monendum eſt, in ipſa diſſectione, ut & in deſcriptione, Agnum noſtrum dorſo divaricatis artubus incubuiſſe, collis ſuppoſito fulcro, ut ſurſum eminerent & capita retrorſum dependerent, qui ſitus in delineatione ſimiliter fuit obſervatus (vid. Tab. I. AAABBCC), inque partium deſcriptione & denominatione probe retineri ſemperque reſpici debet. Præterea in exhibenda partium deſcriptione illum præcipue ordinem fui ſequutus, quo hæ absque inſigni mutatione ſitus naturalis obvenerunt ſcalpello, diſſectione (uti ſemper fieri oportet) aliquantum ad ſitum illum, originem & decurſum organorum accommodatâ.

§. VI. Diſſectis per longitudinem utriuſque colli tegumentis (ita ut a mediâ circiter parte triangularis eorum portio (C) inter capita reflexa eſſet) & detecto Thorace, in conſpectum venerunt anteriores & laterales collorum muſculi. *Muſculi Sterno-maſtoïdæi* duplices in utroque ſolitum habuere decurſum; itidem *Sterno-hyoidæi* ipſis interjecti: omnes illos extra ſitum & ad capita reflexos exhibet Tab. I. Lit. IIII, KKKK: pro origine octo horum muſculorum ſuperior Sterni pars, quæ quatuor tantum emittere ſolet,

 quodam-

quodammodo magis lata videbatur. Mufculi *Scaleni*, qui in externis lateribus aderant, in uno latere obiter exhibiti quales pinguedine tecti comparent (L), folitoque more fe habebant, deficiebant in internis, nullam nempe actionem perficiendam, nullas coftas, quibus infererentur, inventuri.

§. VII. Qui *Levatori fcapulæ* refpondet Mufculus, caputque cum collo fuo retrorfum in latus verfus fcapulam trahit, vel hac magis firmatâ oppofito infervit ufui, aderat in utriufque colli latere externo, fubcutaneus, & cum cute reflexus (FF). En vero quid hujus loco mirabile effecerit & pulcrum Natura in lateribus, quibus colla fe refpiciebant, i. e. internis! Cum hic deëffent Scapulae, quibus inferi debuiffent illi mufculi, cumque propter capitum & collorum latera fefe tangentia dicta actio ab illis exferi non potuiffet, ficque inutiles plane fuiffent, defunt quoque ibi tales Levatores: a folita vero illorum origine utrimque oriebatur mufculus planus principio Levatoris fimilis, qui cum ad pollicis & dimidii diftantiam oblique defcendiffet in uno alteroque collo tandem uterque confluxit ita, ut unum conftitueret eumque femilunarem mufculum, qui ab unius ad alterius colli fummitatem fub cute extenfus molli pinguedine repletum intervallum occupabat (Tab. I. H): fufpiciendam fane Creatoris fapientiam in hifce non minus mirabar, quam confpectam fabri-

cam

cam tum insolitam tum pulcerrimam: novæ scilicet inque Agnum, qui uno capite præditus sit, non cadenti actioni peragendæ novo opus erat & insolito instrumento: Biceps enim Animal hocce egebat musculo, qui duo capita & colla mobilia, cum diducta forent aut singula retrorsum tracta suis Levatoribus aliisque musculis, adducere iterum valeret, id quod a Semilunari nostro egregie effici poterat. Quantopere itaque ad prædefinitum finem in ipsis Monstris producendis operetur Providentia, eluxit hoc exemplo, sed elucescet multo magis ex iis, quæ rariora videbimus & pulcriora!

§. VIII. Resectis a sterni summitate musculis Sternomastoidæis & Sterno-hyoidæis, iisque sursum ad capitum latera reflexis (IIII, KKKK), ut subjacentes occurrerent partes, vidi primum a larynge ad jugulum productam catenam seu seriem glandularum conglobatarum, latus utrumque asperæ arteriæ eamque simul obtegentium, in utroque collo, quam resecari oportuit, ut aliæ partes distinctius prodirent, neque in Tabula exprimi licuit, ne reliquas redderet minus dilucidas.

§. IX. Thoracem (in cujus partibus exterioribus nihil vidi, quod a naturali tramite recedens vel alienum esset) tunc aperui, ut Vasorum colli utriusque decursum & originem simul investigare possem. Sternum removi integrum. Costarum anteriorem partem abscidi. Disjunctis porro pedibus

dibus anterioribus totum Pectus diduxi, uti depictum eſt (DD), quo melius & facilius ſpectari & ſecari poſſent contenta organa: hinc cavi thoracis delineatio minus naturalem exhibet ſtructuram, quam ſi ex propoſito de illo depingendo fuiſſet actum. Comparuit ita unum Pectoris cavum: apparuit unicum *Cor* ſuo Pericardio incluſum: unum ſimiliter Mediaſtinum: *Pulmones* contracti, rubelli, reſpirationis actionem non perpeſſi, aderant in duabus cavitatibus a mediaſtino effectis (PP), primoque adſpectu omnino ſimplices in uno alteroque latere videbantur, ulteriore autem & accurato magis examine inſtituto, patuit in ſiniſtro tam altam & integram obſervari partium diviſionem in ſuperiorem & inferiorem, ut juſto ſuſpicari liceret duplicem pulmonem hic adfuiſſe, idque eo magis quod aſperæ arteriæ rami inſtar Bronchiorum huc pertinerent, imo duæ accederent arteriæ pulmonales, ut ſequentia docebunt. *Diaphragma* (E) Thoracem, uti ſolet, a cavo Abdominis ſeparans, nihil notandum exhibuit: in Figuris diſtractum, itaque extra ſitum ſiſtitur, ut facile quis intelligat, veræ hujus partis delineationis rationem habitam haud fuiſſe.

§. X. *Nervi Diaphragmatici* occurrebant tantum duo, ſinguli in utroque externo colli latere: in interno deërant: neque mirum, quoniam ſimiliter in uno tantum eoque externo latere aderant Nervi Cervicales, originem ipſis ſuppeditantes, qui in internis nullos artus anteriores inven-

tu-

turi, hincque futuri inutiles, facti nequaquam erant. Ex cervicalibus itaque orti Diaphragmatici, uti ſolent, per externum latus colli deſcendebant, thoracem ingreſſi latera externa pericardii legebant, ob cujus pellucidam tenuitatem valde erant conſpicui: ad diaphragma denique cum perveniſſent, ita manifeſto ipſius parti tendinoſæ inſerebantur, indeque ſuos ramos ad ſubſtantiam carnoſam emittebant, ut contemplantibus omne dubium eximeretur de quæſtione, num nervi quandoque in ipſis Tendinibus adſint. Oportuit dein hoſce nervos, ſimul cum pericardio, auferri, ut reliqua majoris momenti facilius perquiri & pulcrius depingi poſſent: neque difficulter verbis ſuppleri poſſe ratus ſum, quæ forte hac in parte Tabulæ I. deficere nonnulli arguent: in delineatione præterea partium a multiplici figurarum numero cavere, non una ſuadebat cauſa: quare etiam in exhibendis iis, quae in hoc Agno ſingularia mihi occurrebant, ſollicitus nequaquam fui de deſcribendis & pingendis ſubtilioribus vaſorum & nervorum ramis, Anatomen quippe Agni de induſtria proferre minime cupidus, ſed illas tantum in genere, quæ hic ſingulares & mirabiles ſe obtulerunt, in lucem emittere, partes.

§. XI. In ſingulis collis *Larynx* ſolitam occupabat regionem ſuperiorem, in faucibus patens: continuata ſimiliter ipſi *Arteria Aſpera* naturali modo & ſitu per anteriorem

partem descendebat usque ad jugulum: convergebant quidem duæ tracheæ ad se invicem, Thoracem vero ingressae nulla conjunctione gaudebant, sed lateris sui pulmonem petentes, substantiam eorum perreptabant (Tab. I, MM): singularis erat tamen ingressus illarum & divisio: dextra enim nullam, uti fieri solet, Bronchiorum bifurcationem exhibens, ex ipso suo soloque trunco ramos pulmoni impertiebat; sinistra vero ante distributionem ramorum aliquomodo divisa cernebatur in duo, licet brevia tantum, Bronchia, quorum alterum pertinebat ad superiorem minorem, alterum ad inferiorem majorem sui pulmonis partem, neque levem movebant suspicionem, in hoc latere pro simplici vix haberi posse illud organum aëreum. vid. §. IX.

§. XII. Exhibebant quoque ambo colla suum *Oesophagum*, a faucibus, aperta via in ora patentibus, productum, pone asperam arteriam per totam eorum longitudinem versus thoracem extensum, ibique ulterius inquirendum: in quo decursu hoc tantum notandum fuit visum, quod, uti in naturali simplici fabrica semper aliquantum a latere sinistro arteriae asperæ emergit, ita in duplici hoc collo uterque in latere ejus exteriore quodammodo conspicuus evadebat, in collo dextro tectus arteria carotide, in sinistro nudus (N).

§. XIII. *Cor* unicum, satis magnum ratione totius corpo-

poris, a ſuis vaſis pendulum in medio pectore, ſuoque apice diaphragma feriens, ut in animalibus plerisque fieri ſolet (O): hoc vitale organum a ſtatu ſolito alienum monſtrabat in vaſorum majorum diſtributione multum, nihil in propria fabrica.

§. XIV. *Arteria Aorta* ex ſiniſtro Cordis ventriculo oriunda e media ejus baſi adſcendebat (*a a*), mox ſiniſtrorſum inflexa juxta ſinum venoſum & ante arteriam aſperam ſiniſtri colli progreſſa, hanc ſimulque œſophagum obtegens, magno arcu facto ulterius ſiniſtrorſum & dein deorſum procedens, vertebras colli ſiniſtri petiit, ac porro lateri earum externo adnexa pone pulmonem ſe recondit in pectoris cavo, in quo illam deinceps proſequemur.

§. XV. Præcipuæ utriuſque colli Arteriæ inſignes non minus quam mirabiles ſiſtebant Naturæ luſus, ad ſitum tamen partium & fabricæ inſolitæ neceſſitatem ita adaptatos, ut omnes in admirationem abriperent. Magnus ille Aortæ arcus in deſcripto mox decurſu duos emittebat ramos, arteriam Carotidem ſiniſtram, alteramque, quae Axillaris ſiniſtra nominanda erit: utramque inter a media anteriore parte recipiens Canalis Arterioſi inſertionem (*c*). *Arteria Carotis* ex arcu Aortæ emiſſa (*g*), a latere interno ſuæ aſperæ arteriae adſcendens, ſenſim hujus anteriora petiit, & ubi ad dimidiam circiter partem ejus pervenerat, ad exemplum comitis Venæ Jugularis, abiit in ramos

duos, dextrum & ſiniſtrum (**), qui a latere utroque aſperæ arteriæ caput petebant, & ſinguli ad ſummam Laryngis partem in carotidem internam & externam dividebantur. *Arteriam Axillarem ſiniſtram* ultra canalis arterioſi inſertionem exhibuit Aorta (*h*), ad pedem ſiniſtrum pro more decurrentem, in noſtra figura truncatam, ut hic commodius extenderetur.

§. XVI. Singularis admodum & plane diverſæ originis Arteriæ colli alterius obſervatae fuerunt. Ubi aſpera arteria Thoracis cavum ingreſſura erat, poſt illam & pulmonem prodire cernebatur truncus arterioſus, inſigni capacitate præditus (*i*), ex ipſa (uti patebit) Aorta ortus, ſupra coſtam primam ad tertiam circiter pollicis partem dextrorſum extenſus, qui reflexus formabat angulum, & ex eo emittebat *Arteriam Axillarem dextram* (*k*), tendentem cum comite vena verſus pedem ſui lateris anteriorem. Ab illo angulo verſus aſperam arteriam reflexus ille truncus *i*, emittens ramulos ad anteriores colli partes, quatuor circiter linearum longitudine adſcendebat multo arctior (*n*), indeque juxta latus aſperæ arteriæ, obtuſo facto angulo, continuatam producebat *Arteriam Carotidem dextram* (*l*), quæ pollicis longitudinem emenſa, inſtar ſiniſtræ bifida facta (**), carotidem iterum dextram ſiniſtramque hujus colli efficiebat, quarum hæc tracheam conſcendere, & porro latus ejus internum ſub vena jugulari

lari petere, utraque vero ſolito more ad ſuum caput tendere, inque externam & internam findi, viſa fuit. Declarabit ulterius examen, quomodo mirabilis hic vaſorum apparatus cum ipſa communicarit Aorta; eumque totum in ſuo nexu, & magis extricatum, clarius cernere datur in Tab. III. (*b b c* 2 3.)

§. XVII. Inter truncum illum *i* & inferiorem aſperæ arteriæ partem occurrit ramus arterioſus, ex ſuperiore pulmonis propagine ad reliquam ejus partem, in cavo pectoris comprehenſam, ductu anguloſo extenſus (*m*), diametro lineam cum dimidia æquans, cujus angulus illum reſpiciebat, quo inter *n* & *l* originem capiebat Carotis dextra. Illos inter angulos anguſtior intercedebat *Canalis communicans* (+), viam ex una arteria in aliam, inſtar parvi canalis arterioſi, faciens. Arteriæ hujus anguloſæ pars ſuperior, brevior, craſſior, introrſum tendens, mox ſe immittebat in lobulum (2), quem pulmo dexter in collum uſque producebat ſurſum: pars ejus inferior, longior, tenuior, deſcendens parum extrorſum, & lobo pulmonis, in dextro cavo Thoracis ſiti, majori erat immerſus. Hi ergo duo rami inſtar arteriarum pulmonalium ſanguini in pulmonem dextrum ferendo deſtinati videbantur, eumque accipere poterant per Canalis arterioſi ſpeciem, cujus ope, cum trunco *i*, adeoque cum aorta, communicabant, licet nulla ex vera arteria pulmonali in ipſos inveniri po-

 tue-

tuerit via, qua ſanguinem haurire potuiſſent. Fabrica hæcce, quæ ad partium naturalem ſitum in Tab. I. exhibita, inque deſcriptione indicata eſt, dilucidius in integro fuit propoſita in Tab. III. (1 *b b c* 23445.)

§. XVIII. Ex ventriculo dextro Cordis ſolito loco & modo exſurgebat *Arteria Pulmonalis (b)*, dextram inter & ſiniſtram Auriculam (*e f*) ad ſiniſtra oblique adſcendens, cumque dimidii pollicis viam abſolviſſet abiens in continuatum, attamen minus capacem, *Canalem Arterioſum (c)*, arcuato ductu juxta aortam extenſum, inque hac ſe aperientem fere e regione arteriæ axillaris ſiniſtræ: fiſſa erat porro Arteria Pulmonalis in duos ramos, quorum alter tantum in noſtra figura conſpicuus eſt (*d*): contra Naturæ ordinem uterque ille ramus pertinebat ad pulmonem ſiniſtrum ſolum: ita quidem ut ille, qui non poteſt conſpici, & pulmoni dextro magis reſponſurus videbatur, decurreret ad ſuperiorem pulmonis ſiniſtri partem, ad latus internum aſperæ arteriæ, ſub aorta & vena cava adſcendente, in collum uſque protenſam, illamque, quæ tota quaſi a majore lobo ſeparata proxime ad Cor dependebat; alter vero, ſupra auriculam ſiniſtram inflexus, pone Venam *o* petebat majorem ejuſdem pulmonis portionem, perque eam ramos ſuos diſtribuere obſervabatur.

§. XIX. In ſiniſtro itaque pulmone & vicinis arteriis naturali & conſueta lege circuitum ſanguinis potuiſſe peragi,

gi, ſed in pulmone dextro (quum omnem ſuum ſanguinem ex aortæ ramis antea deſcriptis, nullum ex arteria pulmonali, acciperet) magnam a ſolito ordine differentiam locum habuiſſe, quilibet facile intelliget, qui motuum ſanguinis momenta in fetibus cognoſcit. An quidem canalis ille (§. XVII.), qui ex arteria carotide dextra dextro pulmoni ſanguinem ſuppeditare debebat, poteratque ſolus, ſuffeciſſet ad vitam Agni noſtri, in lucem editi, producendam? Suffecit certe quamdiu fetus fuit noſtrum animal; incrementum habuit ille pulmo pro ratione reliqui corporis; poſt nativitatem dilatari potuiſſent canales + & *m*, uti in omnibus dilatantur arteriæ pulmonales; pulmo ſiniſter ſufficere potuiſſet ad ſanguinis præparationem & mutationem, non minus quam in aliis animalibus, ipſoque non raro homine, unum organum alterius, minus apti, vices adimplere, conſtat obſervationibus.

§. XX. Sinus venoſus dexter cordis, in eo ſitu, quo Tabula prima Agnum exhibet, non conſpicuus, ſanguinem e ſuperioribus partibus recipiebat per *Venam Cavam adſcendentem* ſeu *ſuperiorem* (*p*), amplam valde & capacem, ſub auricula dextra & aorta emergentem, & pulcerrime implentem ſpatium, quod ad jugulum inter duo colla ſupererat: pollicis fere longitudine cum ea adſcendiſſet, bifida facta abiit in duas *Venas Jugulares* (*q q*), quæ utraque dextra & ſiniſtra a ſocia ſua divergens, ſimplex fuit, donec adſcendens

dens pertingeret ad ſui lateris, quam petebat, aſperam arteriam, inque hoc itinere e latere interno emitteret inſignem ramum (*r r*), qui utrimque ſemicirculari decurſu introrſum & retrorſum duo inter colla ad glandulas hic ſitas (1 1), pinguedinem, aliaſque vicinas partes, venulas porrigens, profunde immerſa diſparebat. Venæ hæ jugulares pollicem longæ, ubi partem anteriorem tracheæ conſcenderant, eodem modo, ac de Carotidibus arteriis vidimus, bifurcatæ dabant ramum dextrum & ſiniſtrum (††, ††), minus profunde, quam comes arteria, ſitum, ſuæ aſperæ arteriæ latus dextrum & ſiniſtrum in utroque collo petentem, interque muſculos, uti venis jugularibus proprium eſt, decurrentem ad capita, eaque ingredientem. Ex qua Venarum, non minus quam Arteriarum, ſingulari prorſus origine & diviſione eluxit, novorum plane, & quorum in animali uno Capite prædito ne veſtigium quidem occurrit, organorum productionem, ad præternaturalem animalis hujus fabricam accommodatam, tam manifeſte habuiſſe locum, ut nemo ulla veri ſpecie poſſit ſtatuere, duos Fetus coalitos Monſtrum hocce Biceps produxiſſe.

§. XXI. Quæ vaſa autem ad partes numero ſimplices pertinebant, ea omnia Sapiens Potentia dirigens creavit eo ordine & numero, quo ſolent occurrere: uti id in Arteriis patuit, in §. XV & XVI, ita non minus conſpicuum

fuit

fuit in Venis. Idem enim Sinus venoſus dextri ventriculi cordis dextrorſum emittebat *Venam Axillarem dextram* (*s*), quæ ante pulmonem ſui lateris, ſuper coſtam primam cum comite, ejuſdemque nominis, arteria pedem anteriorem petebat: conf. Tab. II & III, *h*, *i*. Pes ſiniſter cum ſua arteria ſimilem accipiebat *Venam Axillarem ſiniſtram* ex Cavæ ſuperioris radice oriundam (*s*). Solitam quoque *Venam Cavam inferiorem*, per diaphragma prodeuntem, recipiebat hic ſinus, uti docebunt ſequentia, nec non Tab. II & III.

§. XXII. Præter haſce venas idem Sinus a latere ſiniſtro aliam emiſit *Venam* plane *ſingularem* (*o*), quæ a parte poſteriore Auriculæ cordis (*f*) emergens, hanc inter & arteriam pulmonalem (*d*), nec non pulmonis ſiniſtri ſummam partem, ſiniſtrorſum tendens, & reflexa, in cavo Thoracis recondita, in examine partium, quæ hoc continebantur, ulterius perquirenda erit: conf. Tab. II & III, *k*.

§. XXIII. *Venæ Pulmonales* nihil monendum ſuppeditarunt; ex omni enim pulmonum ſubſtantia ortæ, inque ramos collectæ, uti fieri ſolet, aperiebantur in ſinu venoſo ſiniſtro, ut in eum ſanguinem pulmonalem venoſum effunderent.

§. XXIV. Superſunt in hocce animalis noſtri ſitu nominandi *Nervi Paris Octavi* ſeu *Vagi*, duo utriuſque colli, ex Capitibus oriundi, & ſolito more deſcendentes cum majoribus vaſis. Colli dextri Externus, ſeu dexter, juxta ar-

teriam carotidem, a latere tracheæ & œſophagi, decurrens, pone arteriam axillarem pectus ingreſſus, ſub pulmone ſe recondidit (*ttt*). Internus, ſeu ſiniſter, alterum latus aſperæ arteriæ legens, ſub vena jugulari, pone pulmonis propaginem (2) & auriculam dextram cordis immergebat ſe in pectoris cavitatem (*tt*). Colli ſiniſtri Nervus Externus ad externum latus aſperæ arteriæ deſcendens, ante arteriæ axillaris originem ſuperſcandit Aortæ curvaturam, hanc inter & venam ſingularem *o* demiſſus a poſteriore parte pulmonis ad Thoracis cavum tranſibat: alterque, ſeu Internus, a latere interiore aſperæ arteriæ procedens, profunde ſitus, pone arteriam carotidem (*g*) applicabat ſeſe parti laterali & poſteriori œſophagi, & cum hoc in pectus tendebat (*vv, vv*): conf., ut nexus melius intelligatur, Tab. II, 55 *ll*, 66 *n*.

§. XXV. Deſcriptis itaque illis partibus, quas ſitus cadaveris (§. V.) absque ulla, niſi memorata, mutatione offerebat inquirenti; ut indagari poſſent earum ulterior decurſus & diſtributio, & detegi, num quid etiam in cavo Thoracis a naturali ſtatu alienum occurreret, oportuit Cor & Pulmones ſurſum elevari & extra pectus ad jugulum reflecti eum in modum, ut, quantum fieri poſſet, partes vicinæ in conſpectum venirent, quemadmodum in reliqua deſcriptione & figurarum delineatione obſervatum fuit (Tab. II & III, AABCC): præterquam quod in

Tab.

Tab. III pulmo dexter (FC) aliquomodo in ſuo ſitu ſit repoſitus, ut vaſorum concurſus, pone illum reflexum latitans, melius poſſet exhiberi. In Tabulis autem hiſce ſuperfluum fore duxi iterum delineari illas partes, quæ ad Pectus non pertinent, quoniam ex Tabula I facile intelligi poterunt. In quo ſitu, toto quaſi pectore eviſcerato, reflexis illis organis, pronum erat cernere Sinum venoſum dextrum, Venam cavam inferiorem, arteriam Aortam, utrumque Oeſophagum, Nervos octavi paris & ſingularia Vaſa *i* & *o* ante memorata, eorumque ſtatum in Thorace perſequi. De diaphragmate (D) monendum, hoc in hiſce figuris, præcipue Tab. II, conoideam habere, & a convexitate naturali plane recedentem, formam, quia a Vena cava inferiore tenſa, cor reflexum ſequente, in apicem elevatum eſt, & ſurſum tractum.

§. XXVI. Primum in oculos incurrit *Sinus Venoſus dexter* cordis (*e*) amplus, cum Venis ex eo prodeuntibus, a quibus itaque noſtram deſcriptionem perſequi lubet. Cernitur ex parte ejus dextra oriens Vena Axillaris dextra (*hi*), ante pulmonem ſui lateris ſociam petens arteriam, cumque hac pedem dextrum, in Tab. II per elevatum pulmonem ſurſum tracta. Venæ Axillaris ſiniſtræ (*d*), itidem cum cognomini arteria ſuum pedem adeuntis, originem recondit pulmo ſiniſter: conf. §. XXI.

§. XXVII. Idem Sinus inferius accipiebat *Venam Cavam*

inferiorem ſeu *deſcendentem* (*f*), multo longiorem, quam in humanis corporibus, in quibus obliquum, & diaphragmati magis propinquum, ſitum nactum eſt Cor. Ex abdomine per diaphragma egreſſa in cavum Thoracis, recta fere, quodammodo a latere dextro ſpinæ dorſi, adſcendens, ſuique lateris œſophago incumbens, hujus dein latus internum petiit, arteriam pectoris transverſam *b b* decuſſavit, donec ad ſinum venoſum terminaretur, nihil inſoliti exhibens, pro more apta ad ſanguinem ex partibus infra diaphragma poſitis in illum deferendum.

§. XXVIII. Occurrit dein *Vena* perquam *Singularis* (*k*) cujus originem (Tab. I, *o*) indicavi in §. XXII, quam in hoc partium ſitu obtegebat pulmo ſiniſter. Hæc ab illo loco, quouſque eam ſupra perduximus, ad latus internum aortæ procedens deorſum, œſophago incumbebat, leviter inde arcuato ductu ſiniſtrorſum tendebat, aortam oblique transcurrebat, comprimebat, dein hujus externo lateri accumbens, nec non coſtis adhærens, penetrabat diaphragma, inque Abdominis cavum ingreſſa alterum ſuum extremum inſerebat venæ cavæ inferiori circa Renes. Erat hæcce Vena toto fere decurſu æque capax, inſigni amplitudine prædita, non multo minore quam ipſa Vena Cava, vix ramoſa, pertenuis, patulam viam efficiens ex Cava inferiore ad ſinum dextrum cordis. An Venæ ſine pari (quam in dextro latere non inveni ſolito loco & or-

tu)

tu) vices implevit deficientis? An id requirebat arteriæ transversæ *b b*, œsophagi dextri, aliarumque partium in cavo dextro pectoris situs? Cur adeo ampla? Fateor mihi haud parum hærere aquam, in definienda vera singularis hujus canalis venosi utilitate: quæ mihi satisfaciat, perspicio nullam: quare in obscuris hisce „ non adeo fin„ gendum aut excogitandum esse, censui, quam viden„ dum, quid Natura faciat aut ferat.

§. XXIX. *Arteria Aorta (a a)*, cujus originem & arcum in §. XIV exposui, juxta costam primam valde sinistrorsum Thoracem ingressa, lateribus externis corporum vertebrarum sinistrarum, antequam hæ cum dextris conjungebantur, & costis adnexa, quousque a vena *o*, modo descripta, comprimebatur, solito capacior erat, inque sacculi speciem ab impellente sanguinis fluxu dilatata: sub ea emergens, arcta magis, ad latus sinistrum spinæ rectius descendit venam inter & œsophagum sinistrum, emittens intercostales aliosque, uti solet, ramulos, donec per propriam diaphragmatis fissuram ex cavo pectoris transiverit, in ulteriore sua distributione nihil præterea, quod singulare haberi posset, suppeditans.

§. XXX. In descensu isto Aortæ pervestigando pulcerrimum non minus, quam rarissimum, & a fabrica naturali maxime alienum, erat conspicere, quomodo hæc arteriarum princeps, cum circiter ad quartam costam descendisset,

ſet, porrigeret magnam *Arteriam Transverſam* pectoris, plane ſingularem, & quaſi aortæ ſuccenturiatam (Tab. II, *b b*), quæ angulo retrogrado pone œſophagum originem habens (uti, hoc parum remoto, Tab. III, (1) dilucidius indicat) ſub illo emergebat, indeque ex transverſo pectoris oblique ſurſum & dextrorſum, capax valde, ultra duas quippe pollicis lineas, & quidem ubique æqualiter, ampla, intra cavum Thoracis nullos ramos emittens, incumbens coalitui vertebrarum dextri & ſiniſtri lateris, ſub vena cava, ſinu venoſo & œſophago dextro tendebat, donec ſupra coſtam hujus lateris ſupremam, ante nervum octavi paris externum ex Thorace exiret (Tab. I, *i*), ibique e trunco ſuo emitteret arteriam axillarem dextram, nec non ſurſum ad collum inflexa continuaretur in principium illud ſingulare arteriæ carotidis dextræ, in §. XVI memoratum. Pulcerrimum iſtum vaſorum apparatum, quem pulmo dexter in Tab. II recondit, totum exhibet Tabula III, Lit. 1 *b b* 23445. Viam ergo patulam perſpeximus, qua ſanguis poſſet ex Corde ad Pulmonem dextrum, ad Caput & Pedem dextrum fluere, quamvis inter arteriam veram pulmonalem & arteriam illam anguloſam (§. XVII, Tab. I, *m*), nec non inter aortam & carotidem aut axillarem dextram nulla conjunctio antea apparuerit: neque immerito Transverſa hæc arteria ideo appellari poſſe videtur *Aorta Succenturiata*. Stupeamus mirandam ſane & pro-

providam ubique Naturæ ſapientiam, in hoc organo ſingulari tam egregie ſeſe manifeſtantem! Situs partium in Thorace & Collo noſtri animalis, ſitus Cordis, diſtantia organorum dextri lateris, vix ac ne vix quidem conſueto Naturæ ordini reſpondebant, quo vaſa illorum arterioſa produxiſſet ipſa e ſuo trunco Aorta: quid ergo? pro neceſſitate novæ fabricæ noſtri Bicipitis novam creavit Arteriam, magnam, valde capacem, ſanguinem aperta & facili via ad illas partes ferentem: produxit arteriam, cujus ne veſtigium quidem in ſimplici animali unquam adeſt. Quis jure talem fabricam appellaverit monſtroſam, in qua omnia ad amuſſim reliquorum organorum neceſſitati & functionum aptitudini conveniunt? quis illam ex Fetuum duorum coalitu, in quorum nullo talis canalis exſtiterat, productam voluerit? quis, quæſo, caſu fortuito natam impie dixerit, ubi immenſæ ſapientiæ effectus non minus dilucide proſtant, quam in omnibus, quæ, juxta conſuetas Naturæ leges, in rebus creatis occurrere ſolent?

§. XXXI. Communem inter ſe vitam vixiſſe duo Capita, patuit abunde, quod ex unico corde vaſa ſua acceperint & ſanguinem: communem illam vitam cum reliquo corpore fuiſſe, ſatis declaravit vaſorum illorum diſtributio ex uno corde ad ea capita, æque ac ad totum animal: pro hocce autem uno corpore victura fuiſſe, eique ſoli deſtina-

nata, duo Capita, non minus erit perſpicuum ex ulteriore progreſſu Oeſophagorum & Nervorum octavi paris, quos in præc. §§. XII & XXIV uſque ad ingreſſum illorum in Thoracem exhibuimus.

§. XXXII. *Oeſophagus dexter (o)* pone venam axillarem dextram & pulmonem pectus intrans, decuſſavit arteriam Transverſam *b b*, & arcuato quodammodo itinere extrorſum & deorſum tetendit incumbens articulis coſtarum cum vertebris, ſenſim ſenſimque magis dilatatus, ut inſignem acquireret amplitudinem, tum introrſum ad communem ſpinam inflexa ſub vena cava ſerpſit, perque hiatum diaphragmatis cavum Abdominis ingreſſa aperiebatur in Ventriculum primum, quem Rumen alii, alii Peram ſeu Perulam vocant. *Oeſophagus ſiniſter (p)* minus capax, ubique fere æqualis diametri, rectior quoque, pone arcum aortæ, venæ ſingularis originem *e*, & pulmonem, in cavum Thoracis perveniens ab interno Aortæ deſcendentis latere deſcendit, tegens originem rami ejus ſuccenturiati (a qua in Tabula III parum dextrorſum detractus eſt, ut pateret (1)) indeque margini ipſius aortæ parum incumbens, juxta coalitam ſpinam pervenit cum ea ad diaphragma, cum ſocia ſua alterius lateris per eandem aperturam (quin tamen in unum tubum confluere ad finem duos œſophagos obſervaverim) penetravit in abdomen, inſertus eidem ventriculo juxta præcedentem.

§. XXXIII.

§. XXXIII. *Nervos Octavi Paris*, quos antea per Colla persequuti sumus, vidimus in Thorace sequenti modo descendere ad Abdomen. *Dextri* duo pectoris cavum ingressi, œsophagum quasi complexi (*ll*), accedebant ad se invicem, acutissimo facto angulo supra maxime dilatatam sui œsophagi partem anteriorem (*m*), sicque sibi accumbentes, cellulosa substantia adipe referta conjuncti, cum illo per diaphragma in Abdomen transibant, visceribus hujus ramos daturi. *Sinistrorum* Internus pone œsophagum ita se recondere, ut in hoc situ videri non posset; Externus sub vena *k* primum illi incumbere, dein eum inter & Aortam descendere (*n*), sensim versus dorsum sub hisce partibus deflectere; uterque demum cum suo œsophago in Abdominis cavum penetrare, visus fuit.

§. XXXIV. Hisce in Thorace visis, ad Abdomen animum advertens, nihil inveni in visceribus ejus cavum occupantibus, quod a statu naturali recederet. Medullæ Spinalis structuram, quod maxime oportere censebam, indagare non potui, propter necessariam, ast nimis protractam, animalculi conservationem, tenerique hujus organi corruptionem. Ad Sceleti ergo examen transire solummodo supererat: quod artificiosa non minus, quam perpulcra & rara, æque ac molles expositæ partes, exhibuit. Capitum, Pelvis, Artuumque anteriorum & posteriorum ossa nullam quidem notabilem commonstrarunt diversitatem, ast maxi-

mæ differentiarum notæ occurrerunt in utroque Collo, Thorace & Lumbis: quas defcribam ex Sceleti naturalis Trunco, quem etiamnum inter rariores partes confervo, eisque figuris, quas Tabula noftra quarta continet.

§. XXXV. *Spina* hujus animalis, viginti quinque Vertebris, infolito numero, compofita, conftat Lumbalibus quinque; Dorfalibus feptem inferioribus, fere naturaliter fe habentibus, fuperioribus utrimque fex, mirabili modo inter fe dorfum bifurcatum efficientibus; Cervicalibus in utroque collo feptem: quarum fingulæ claffes fingulares admodum a ftatu naturali habent declinationes, quæ fequentibus exponentur. vid. Tab. IV. fig. I & II, ABCC.

§. XXXVI. *Colla duo* plane a fe invicem diftincta, & infigni intervallo diftantia funt talem in modum, ut finiftrum aliquantum magis a tota fpina continuatum videatur in rectam lineam, quam dextrum. Singula fuis conftant feptem Vertebris: quarum fuperior, feu Atlas, fabrica naturali gaudens, articulo Capitis, ejusque motui, egregie potuit infervire: cui ufui aptiffime etiam convenit fecunda, feu Epiftrophe, a folita non abludens ftructura (Fig. I, 1, 2). In reliquis autem ordinem fuum haud fervavit Natura. Corpora illarum naturaliter fere formata fpectantur in omnibus, excepto colli finiftri feptimo, cujus lateralis interna pars, defectum primæ dorfalis fuppletura, irregulariter defcendit. Pofterius Arcus offei loco

co processuum spinosorum partim coaluerunt, partim a se invicem distant, diverso tamen, sed deformi, in diversis modo, præcipue in septima sinistri & quinta dextri colli (Fig. II. *a*, *b*). Latera externa in utroque omnino rite sunt formata, prædita processibus adscendentibus, & descendentibus, qui articulationibus inserviunt; ut & transversis, qui etiam suis, pro arteriis vertebralibus, non carent foraminibus; nec non aperturis, quæ nervos emittere debuerunt cervicales. Ast longe alia rerum facies est in Lateribus internis, quibus se respiciunt colla: ibi nempe, dum in externis singulæ vertebræ distinctæ omnino sunt, e contrario pleræque, saltem quatuor mediæ, anchylosi coaluerunt; processus articularii confluentes inter se; transversi vel nulli, vel deformes, neque vestigium habentes foraminum pro arteriis vertebralibus; aperturæ pro nervis cervicalibus emittendis irregulares, fere obliteratæ, nulli quippe usui inservituræ, quum illi nervi deëssent, qui pedibus anterioribus solent ramos suppeditare (cf. §. X): hæc vero foramina inter primam & secundam, ut & secundam inter & tertiam, vertebram sunt conspicua, ut nervi collorum superiores ad partes alias molles, transire potuerint, quorsum in simplici conformatione tendere solent: pro motu capitum efficiendo non minus sollicite anchylosin inter vertebram utramque secundam & tertiam præcavit Natura provida.

 §. XXXVII.

§. XXXVII. *Dorſales Vertebræ* partim a ſe invicem diſtantes, partim ſimplices, Spinam exhibent furcatam. Inferiores ſeptem ſolitam exhibent fabricam, ſi Lineam excipiamus longitudinalem, quæ per media earum corpora a Spinæ coalitu uſque ad lumbos deſcendit, inde nata, quod duplex cuilibet corpori oſſificatio per cartilaginem ſit conjuncta, ſenſim craſſiorem, quo ſuperior ſit (Fig. I. *k*): ſpinoſus quoque proceſſus octavæ vertebræ, inter ſeptimam nonamque valde compreſſus, in duos diviſus, non coaluit (Fig. II, *c*). Superiores ſex duplices in genere ſunt: primæ valde diſtant, reliquæ unius alteriusque lateris convergendo ad angulum acutum conjunguntur in medio dorſo, arcubus ſuis oſſeis & proceſſibus ſpinoſis citius, tardius ſuis corporibus: corpora illarum omnium id generaliter notandum habent, quod etiam linea media, quaſi cartilaginea, & lineæ *kk* continuata, ſint diviſa, adeoque ſingula exhibeant duas partes oſſeas, externam unam, alteram internam: partes externæ omnes ſatis apte fabricatæ, articulis excipiunt coſtas; internæ, deformes, fere indigeſtæ, ſenſim minores, tandem diſparentes in ſua cartilagine, rudimentis veluti nonnullarum coſtarum ſuperiorum ſedem præbent, quæ ſpatium anguloſum, quod coalitus Spinarum efficit, adimplent (Fig. I, 8 ad 13 &c.): reliquas partes earum vix ad generalem regulam revocare licet, propter ingentem diverſitatem. In ſingulis vertebris, quomodo

modo hæc ſeſe habeant, operæ pretium videtur exactius paulo rimari.

§. XXXVIII. *Spinæ dextræ* Vertebræ ſic apparent. *Prima* Corpus partem externam, ſummam coſtam excipiens, ſatis perfectam habet; internam vero compreſſam, imperfectiorem, qua ſuſtinet ſpeciem coſtæ perbrevis, ad ſuperiora ſemilunari figura valde incurvatam verſus extremum elongati admodum proceſſus transverſi vertebræ ſiniſtræ ſecundæ (Fig. I, *a*): Arcus oſſei poſterius non coaleſcunt, ita ut ſolus externus proceſſum ſpinoſum formet, internus cum duobus inſequentibus in unum fere confluat; id quod figura luculenter exhibere parum licuit (cf. Fig. II. *d*). *Secunda* in interno latere Corpus minus oſſeum, depreſſumque, habens, excipit eo ſimiliter parvam coſtam, ſurſum incurvatam, & ad angulum acutum concurrentem cum ſimili, ex interno latere Spinæ ſiniſtræ emiſſa (Fig. I, *b*): Arcus oſſei unum formant proceſſum ſpinoſum cum præcedente & inſequente, craſſum, longum, tribus vertebris communem. *Tertia* fere nullam partem oſſeam internam habet in ſuo Corpore, cui inſidet coſtæ minoris rudimentum, quod cum ſimili, ab oppoſita Spina adveniente, concreſcit in unum oſſiculum triangulare, quaſi ex duarum coſtarum ruderibus coalitum, anterius ſinuatum, poſterius in prominulum abiens proceſſum (Fig. I, *c*): Arcus ejus oſſei confluunt cum præcedenti in unum proceſſum ſpino-

 ſum.

fum. *Quartæ* Corpus interne magis offeum, fuperiore fua parte excipit officulum tripes, ad juncturam duarum Spinarum pofitum, uno & altero proceffu vertebris adnexum, tertio verfus pofteriora extenfum (Fig. I, *d*): Reliquæ partes hujus & quartæ finiftræ unam porro componunt vertebram: nam Arcus offei retrorfum abeunt ita, ut interni, qui fe invicem fpectant, mox coëant, & foramine ovali, magno, relicto, coalefcant, externi dein ipfis adjungantur, ficque fimul conftituant proceffum fpinofum, craffum, triangularem, primum, qui utrique Spinæ communis eft (Fig. II, *e*). *Quintæ* Corpus interna parte fua vix offeum, proxime appofitum quintæ alterius lateris, parvo fejunctum intervallo, quod jam cartilago replet, officulum prioribus fimile non amplius fuftinens: fubito etiam conjunguntur Arcus & aliæ partes, unamque vertebram efficiunt. *Sextæ* eadem fere ratio eft: Corpora, internis partibus offeis deftituta, magis fibi appropinquant, continua cartilagine juncta, quæ Spinæ dextræ & finiftræ efformat anteriorem coalitum (Fig. I, *e*). *Septimæ* Corpora jam magis in unum confluunt, intermedia tamen cartilagine diftincta, Lineæ longitudinalis, per reliquam mediam Spinam extenfæ, principium conftituente: a parte poftica in hac, & praecedente, fabrica fimilis eft quintæ vertebræ. In omnibus Proceffus articularii, adfcendentes & defcendentes, magis minufve imperfecti, fuperficiebus minus

minus aptis præditi, vix admittere potuerunt hujus dorſi partis requiſitos motus. Omnes inter ſe compoſitæ illæ Dorſales Vertebræ ſuperiores dextræ, cum ipſa ulteriore Spina concurrunt ad angulum obtuſum, eique minus quam ſiniſtræ recte apponuntur (Fig. I & II, D).

§. XXXIX. *Spinæ ſiniſtræ* Vertebræ Dorſales plerisque cum dextris congruunt, nonnullis differunt. *Prima* illarum omnino caret Corporis ſui parte interna: caret etiam Arcu oſſeo & proceſſibus illius lateris interni: ſupermanet hinc intervallum inter hanc & cervicalem infimam vertebram, faciens ut Collum cum Dorſo parvum formet angulum, major certe qui fuiſſet, niſi proceſſus articularius inferior, & arcus oſſeus internus ſeptimæ cervicalis, ſolito magis deſcendentes, ſpatium illud quodammodo replerent: dum itaque externa pars ejus ſuam coſtam ſuperiorem excipit, interne nihil eſt, quod coſtæ ſpeciem præ ſe ferat, inque poſteriore parte ſolus arcus oſſeus externus ſpinam ſupplet (Fig. I, *f*, II, *f*). *Secunda* imprimis ſingularis eſt quoad partem internam: ex Corporis enim ejus parte ſuperiore emergens proceſſus transverſus in maximam excrevit longitudinem, oblique dextrorſum ſurſumque extenſus uſque ad imam colli dextri vertebram, ubi apici parvulæ iſtius coſtæ innititur, quæ primæ dorſali inhæret (Fig. I, *g*): ejusdem corporis parti inferiori, ſimulque corpori tertiæ adnectitur alterius coſtæ rudimentum, bre-

brevius, introrſum & ſurſum incurvatum, donec cum ſimili prodeunte ex dorſali dextra ſecunda coaleſcat in acutum proceſſum (Fig. I, *b*): poſterius hujus vertebræ Arcus oſſei confluunt in unum proceſſum ſpinoſum, qui cum cognomine vertebræ tertiæ unum craſſum, & latum, conſtituit (Fig. II, *g*). *Tertia* habet ſui corporis partem internam parvam, & ſinu, ab ipſa & quarta formato, recipit tuberculum alterum oſſiculi triangularis *c:* Arcus oſſei ad præcedentis modum inter ſe, & cum ſecundæ proceſſu ſpinoſo, concreſcunt. *Quarta* ſimilis fere eſt tertiæ; interna tamen Corporis parte aliquantum majore: ſinui, qui huic & ſequenti communis eſt, nectitur oſſiculum tripes *d:* Arcus oſſei formant coalitum poſticum, ſeu proceſſum ſpinoſum *e* utrique Spinæ communem, uti de quarta dextra fuit dictum. *Quintæ* Corporis interna pars irregularis, duas partes oſſeas habet, ut totum corpus ex tribus epiphyſibus ſit compoſitum: poſterius cum quinta dextra unam veluti vertebram conſtituunt Arcus. *Sexta* exhibet Corporis partem externam majorem, internam perparvam, vix oſſeam, proxime ſuo pari appoſitam, eodemque fere modo ceterum ſeſe habet. *Septima* ſimiliter ac in dextro latere formata Spinæ coalitum facit. Ceteræ quoque partes in hiſce vertebris ſeſe habent, uti de dextris fuit expoſitum.

§. XL. *Lumbales Vertebræ*, quas in ſimplici & naturali fa-

ſabrica ſex adeſſe invenio, hic tantum adſunt quinque, ab anteriore ſua parte nihil inſoliti commonſtrantes, niſi quod etiam Corpora illarum per mediam Lineam a cartilaginea epiphyſium coalitione ſuperſtitem, tota lumborum longitudine ſint diviſa (Fig. I, *k*). Poſterius quidem Prima & Secunda a naturali ſtatu non abludunt, ſed reliquæ dehiſcunt & Spinam bifidam faciunt: Tertiæ namque Arcus a ſe invicem divergunt eo loco, ubi ſpinoſam eminentiam formare debuiſſent; Quartæ & Quintæ Arcus ſenſim majore intervallo, decem quidem lineas æquante, diſtant: & quum præterea ſcutum, ſeu poſterior pars, Oſſis Sacri deficiat, patet quomodo formata fuerit in hoc animalculo Spina illa Bifida, de qua jam monitum fuit in §. II (vid. Fig. II, *i*, *i*, *i*).

§. XLI. *Os Sacrum* parte ſua poſteriore, uti vidimus, deſtitutum, in anteriore cum naturali ordine convenit, neque adeſt in eo Linea illa, dividens reliquarum vertebrarum corpora (Fig. I & II, E). Cauda, quæ obiter tantum in Tab. I fuit appoſita, a corpore jam prius detracta erat, quam ad me delatum fuit animalculum, unde Coccygem non adjectum eſſe vitio mihi verti non poterit. Oſſa Coxarum, cavitatem pelvis cum Sacro conſtituentia, naturali ſua fabrica gaudent (Fig. I & II, FF).

§. XLII. *Coſtæ* ſolito numero tredecim adſunt in utroque latere: decima autem tertia ſiniſtra eſt perbrevis, ultra duas

quippe lineas vix longa. Uti in aliis, ita etiam hic, cum vertebris ſuis articulantur, dextræ tamen magis oblique, quam ſiniſtræ, in latus tendunt, minusque incurvatæ ſunt, propter angulum D, quo ad Spinam communem accedunt Vertebræ Dorſales ſuperiores, indeque natam Spinæ curvaturam. Sic quidem in Sceleto unam tantum efformant Thoracis cavitatem, attamen dextram ejus partem multo capaciorem, quam ſiniſtram: quod pro partibus, quæ in ea continebantur, locandis aptius convenire, ſatis ſuperque ex præmiſſis patuit. Hæc ſunt, quæ in Sceleto occurrunt præter Naturam, cui quum reliqua oſſa conſentanea ſint, deſiſtendum eſſe cenſeo ab ulteriore illorum, aliarumque partium anatomica recenſione.

§. XLIII. Naturam haud raro in Hominum generatione aberrare a pulcerrimo illo ordine, quo ab ejus ſapientiſſimo Auctore eſt imbuta, & ſæpius quoque Luſus amare, quibus majorem, magisque mirandam, ſuæ potentiæ vim commonſtret, docent innumera monſtroſorum Fetuum, eorumque diverſiſſimæ formæ, exempla, a fide dignis Scriptoribus obſervata. Ne credamus autem homunciones illos ea præcipue de cauſa, quod Imaginationis maternæ effectibus (quos multi accuſare ſolent) expoſiti ſunt, talibus deformitatibus obnoxios magis eſſe, quam alia viventia: videmus enim, uti Vegetabilia quotidie Curioſorum oculis inſolitæ fabricæ, quam æquo jure monſtroſam vocare

care nobis liceat, documenta proferunt; uti Insecta quoque non raro patiuntur declinationes a solitis creandi legibus; ita Animalia bruta, nostræ vitæ similem fere vitam corpoream agentia, satis frequentes Monstrorum exhibuisse observationes: in quibus tamen omnibus, saltem in prioribus, frustra confugeremus ad vim Imaginationis. Oves quoque ipsas Fetus suos, vitio generationis obnoxios, quandoque in lucem emittere, non est quod dubitemus, si, præter nostram descriptionem, Aliorum experientiam consulamus, quæ haud dubie ditior futura esset, si quævis observationes, apud rusticos & ignaros in Democriti puteum demersæ, ad harum rerum æquos pervenirent æstimatores: inter legendum nonnulla notavi exempla, quæ hic adjicere mihi lubet, inficias nequaquam eunti, huncce catalogum ingenti forte numero extendi posse. Præter varios alios, Agnum nempe cum ubere lactente natum; Agnum, qui mas, idemque femina erat, Cære natum; aliumque Frusinone Agnum cum suillo capite; tamquam prodigia habitos; T. Livius jam memoravit Agnum Bicipitem cum quinque pedibus Asculo genitum (α). Ambr. Paræus inter plura monstra Agnum delineavit, qui monstrosum & ad piscis Lampretæ formam accedens, habebat Caput; aliumque depinxit Tricipitem, uno capite majore duobus

(α) Vid. Histor. Libr. XXXII, Cap. XXIX; nec non L. XXVII, C. IV; L. XXVIII, C. XI; L. XXXI, C. XII.

bus minoribus interpofito (β). Dein Agnam Bicipitem unicorpoream in Mifcellaneis Naturæ Curioforum defcripfit G. SEGERIUS, cujus accurata partium internarum anatome quamvis defideretur, illæ tamen, quæ expofitæ funt, multum cum iis conveniunt, quæ in noftro Agno apparuerunt (γ). Agnum duplici Capite donatum, noftroque adeo etiam affimilem, exhibent Breflavienfium Acta (δ), quæ præterea & alium Agnum monftrofum continent (ε). J. DE MURALTO duos Agnos monftrofos defcripfit, unum Bicorporeum, unico Capite præditum (ζ), alterum exhibentem duos fetus ovillos ab umbilico ad maxillam inferiorem coalitos (η). Bicorporeum unicipitem quoque tradidit M. HOFFMANNUS in Naturæ Cur. Mifcellaneis (ϑ), aliumque alibi (ι). In eodem Opere cl. LANZONI Agnum monftrofum expofuit (κ). P. BORELLUS Agnum duplicem memorat, qui Caput unicum, fed duo habuit Corpora, qualem etiam Alium publice oftenfum olim viderat (λ). Agnum Cyclopem, feu Mono-

(β) Vid. Ipfius *Oeuvres Livr. XXV, Chap. XIX.*
(γ) Ephem. Nat. Cur. Dec. I, Ann. IX & X, Obf. XCVII.
(δ) *Brefl. Gefch. XVIII Verf. pag.* 601.
(ε) *Ibid. XI Verf. pag.* 226 *&* 324.
(ζ) In Colleg. Anatom. pag. 487.
(η) Ephem. N. C. Dec. II, Ann. I, Obf. XLV.
(ϑ) Ibid. Dec. I, Ann. IX & X, Obf. IV.
(ι) Act. Maris Balth. Ann. 1699, pag. 109.
(κ) Ephem. N. C. Dec. III, Ann. I.
(λ) Obferv. XX, Centur. IV.

noculum monſtroſum, ab J. S. ALBRECHT deſcriptum invenimus (μ). In Monumentis Acad. R. S. Pariſinæ tria itidem inveni exempla: cum ea enim Chirurgus ANTOINE communicavit Agnum monſtroſum gemellum, qui carebat Capite, Pectore, omnibus Vertebris, & Cauda, habens ſolummodo Ventrem oblongo-rotundum, nulla apertura, nulla quoque Sexus nota, præditum, cui appoſiti erant Artus poſteriores: deërant Cor, Pulmones, Hepar, Lien, Renes, Partes Genitales; aderant ſolummodo Meſenterium, eique adnexa Inteſtina, & ſpecies quædam Ventriculi; totumque Sceleton ejus conſtabat duobus oſſibus Ilei, oſſe quodam inſolito ad ſuperiorem eorum partem poſito, & oſſibus extremitatum poſteriorum (ν). In eodem opere Agnus legitur maturo partu editus, a Medico DU PUY viſus, qui nullo ore, ſed tantum parvo foramine, inter auriculas patulo, neque ad ventriculum, neque ad pulmones, ducente, erat præditus (ξ). Clar. MORAND ipſi quoque inſeruit deſcriptionem & delineationem Ovis monſtroſi, cui duo Artus poſteriores ſupernumerarii inter duos alios naturales conſpiciebantur; anus quoque duplex, organa ſpermatica duo, cum vaſorum, aliarumque partium, fabrica ad illa adaptata (ο). Neque

(μ) Act. Phyſico Med. Vol. VII, Obſerv. CII.
(ν) *Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. Ann.* 1703, *pag.* 34, *in* 8.
(ξ) *Ibid. Ann.* 1715, *pag.* 17.
(ο) *Ibid. Ann.* 1733, *pag.* 197 *des Memoires.*

prætermittenda eſt Agna ſex pedes habens, cujus, ex lanionum manibus protractæ, memoriam Jos. Garattonus, pulcra deſcriptione Anatomica poſteris conſervavit (π). Ex quibus patet, ſatis frequentes Naturæ Luſus in noſtri etiam Animalculi ſpecie occurrere.

§. XLIV. Inter illa autem exempla vix ullum, niſi unum alterumve poſteriorum excipias, invenitur, nullum ſaltem, quod cum noſtro congruit, in quo deſcribendo, aut delineando, debita cura fuerit adhibita: id quod eo magis animum meum incitavit ad exhibenda fideliter ea, quæ mihi in ipſius examine anatomico notanda occurrerunt. Quæ opera ſi forſan nonnullis minus videatur utilitatis habere, & celebrem illam (Cui Bono?) quæſtionem moveat, illis inſpicienda ſuadebo ſummorum ſcripta Virorum, Monſtrorum hiſtoriam ſuo labore indignam nequaquam habentium; & ſolatium mihi præterea facile afferet maxima delectatio, quam contemplatio ſtupendæ illius fabricæ animo meo præbuit. Sed & opus plane inutile ſic enatum non eſſe, ſpem mihi faciet illuſtre illud Anatomicorum hujus ſæculi par, J. B. Morgagni & A. Hallerus: quorum Ille, mecum apprime conſentiens, ſcribit „ Se, „ etſi in conſtantibus & certis Naturæ operibus ut pluri- „ mum verſari ſoleat, attamen quoque iſtius aberratione

„ ve-

(π) Commentar. Bonon. Tom. II, Part. I, pag. 90.

„ vehementer esse oblectatum: inest enim (si modo res
„ penitus introspicere nitamur) ut in summorum Ingenio-
„ rum, ita in Naturæ ipsius Erroribus, semper quiddam,
„ quod discamus, quo proficiamus, quod admiremur (ρ):
Alterius verba hæc sunt: Inutilis certe est, Illorum cu-
„ riositas, qui extimos tantum artus, ruditer satis, neque
„ semper fide, iconibus utcunque adumbrarunt. Anato-
„ me vero Monstrorum, licet minus veræ utilitatis habe-
„ re videatur, quam simplex & perpetua corporis huma-
„ ni fabrica; commendat se tamen novitatis gratia, &
„ continet aliquando *Semina veri*, quæ nunquam e con-
„ sueta natura corporis nata fuissent (σ).

§. XLV. Semina ista veri quomodo ex sedula contemplatione Agni nostri redundent in indagationem Generationis Animalium, corporis Nutritionem, Evolutionem & Incrementum, Osteogeniam, aliarumque partium Formationem, & alias etiam Functiones, illis haud difficile erit perspectu, qui ex vera observatione, fidelibus oculis, & bene præparato animo, facta, tentant illustrare opera illa Naturæ valde abscondita: quæ vero Corollaria quum me ultra observationum, & scopi mei, limi-

(ρ) In Epistola ad Ant. Sebast. Trombellium, apud Ant. Vallisneri in *Opere fisico-mediche*, *Tom. II*, *pag. m.* 295. Quam cum legebam, gaudebam maxime, magnum illum Virum eandem fovisse opinionem, quam nuper, in Serm. Acad. *de Erroribus Medicorum sua utilitate non carentibus*, proposui.

(σ) Opusc. Anatom. pag. 155, Not. 4.

mites abducerent, unicum tantum adjeciſſe mihi ſufficiet, priusquam huic Capiti finem imponam.

§. XLVI. Inſignem nempe lucem affundere videtur hæc Anatome celebratiſſimæ quæſtioni ſuper Monſtrorum generatione, nuperis annis valde agitatæ, qua Aliis ſolummodo talia admittuntur, quæ *Accidentalia*, Aliis, præter hæc etiam, quæ *Primigenia* poſſunt appellari. Graviſſimis utraque ſententia argumentis, & illuſtrium Virorum auctoritate, corroboratur. Si quis attento, & ad iſtam litem directo, verum haud præoccupato, animo, noſtram deſcriptionem perpendat, videatque in toto Animalculo nihil fere occurriſſe, quod non perfectiſſime Fabricæ bicipiti & unicorporeæ reſponderet, quod non artificioſiſſime ad illius normam & ſcopum configuratum eſſet; nec non, in eo novas plane partes eſſe productas, mechanice abſolutiſſimas, iiſque, quæ in ſingulari hac ſtructura efficiendæ occurrebant, functionibus, optime inſerviendo pares; imo in illo ubique, quo oculos animumque vertat, obvios eſſe certos fabricæ inſolitæ fines, & cauſas ad eos fines directas; nonne videtur ipſi exinde egregie confirmari clariſſ. Virorum DUVERNEY, S. REGIS, WINSLOWI, KULMI, MAIRANI, PLANCI, HALLERI, Aliorumque opinio? Hi nempe Viri, Monſtra quidem Accidentalia nequaquam negantes, ſed Primigenia quoque admittentes, ſalva Aliorum ſententia, adſtruere tentarunt,

„ da-

„ dari revera Monſtra, quorum fabrica ſingularis, & ab
„ ordine Naturæ aliena, jam exſtitit in Conceptus homi-
„ num & animalium primordio, ſeu prima partium deli-
„ neatione: neque potuiſſe per vim externam, corruptio-
„ nem, imaginationem, aliasve cauſas accidentales, naſci
„ illas a ſolito ſtatu aberrationes, quæ toties in iis obſer-
„ vantur. In noſtro Agno Bicipite plurima mihi viden-
tur occurrere, quæ pro hac ſententia militant. Præ reli-
quis eminent ſequentia: Muſculorum Levatorum ſcapulæ
perpulcra illa in unum Semilunarem conjunctio (§. VII);
duorum Sternohyoidæorum & Sternomaſtoidæorum, in
utroque collo, inſertio in parte ſuperiore, eumque in fi-
nem latiore, Sterni (§. VI); Thoracis una cavitas, unico
Sterno anterius clauſa (§. IX); unicum, & omnibus ſuis
partibus ad ſuum animal perfecte accommodatum, Cor
(§. XIII); Arteriæ Aortæ ortus & progreſſus arcuatus,
ad humanam fabricam accedens, aſt toto cœlo diverſus ab
illo, qui in Agnis, ſimilibusque animalibus, ſolet obſer-
vari, hic vero bicipiti ſtructuræ rite congruus (§. XIV);
Arteriæ Carotidis & Axillaris ſiniſtrae inſolita plane ex
ipſo arcu productio (§. XV); Venarum Jugularium a ſoli-
ta quidem abludens, ſed artificioſiſſima, diviſio, & ramo-
rum ad ſuas partes diſtributio (§. XX); Vaſorum, ad Ca-
pita decurrentium, mirabilis & aptiſſima, qualis tamen in
aliis nunquam eſſe ſolet, ramificatio (§§. XV, XVI & XX);

F Con-

Contextus vaſorum artificioſiſſimus, quo ex Aorta ſanguinem ſuum accipere poterat Pulmo dexter (§. XVII); Aortæ illius ſuccenturiatæ productio & egregia utilitas, qualis nunquam in ſimplici animali, ne quidem in ipſis monſtris, inventa legitur (§. XXX); Venoſi canalis ſingularis forma & decurſus (§§. XXII & XXVIII); Nervorum Diaphragmaticorum, & Cervicalium, abſentia in lateribus colli utriusque (§. X), & Vertebrarum, earumque foraminum lateralium, coalitio & obliteratio (§. XXXVI); Nervorum Octavi paris, ab utroque cerebro prodeuntium, in partibus ſimplicibus & duplicibus ſingularis diſtributio (§§. XXIV & XXXIII); Organorum reliquorum, præcipue Viſcerum abdominalium, naturalis habitus (§. XXXIV), nihil præ ſe ferens, quod ex coalitione duorum Agnorum originem hujus Animalculi ſuaderet; Sceleti denique, & imprimis quoque Trunci, deſcripta fabrica.

§. XLVII. Nonne tamen Spinæ ſtructura, & ſpeciatim media illa Linea, in §§. XXXVII & XL memorata, per longitudinem ejus extenſa, eamque quaſi in dextram & ſiniſtram dividens, aliud ſuadere videtur; præſertim, ſi Coſtarum illa rudimenta, in §§. XXXVIII & XXXIX expoſita, addamus? Nonne videtur exinde patere, Agnum noſtrum ex duobus Fetibus, per cauſas accidentales, corruptis, quorum nihil, niſi duarum Spinarum partes, partim dimidiæ, partim integræ, totaque Capita remanſerunt,

fuiſſe

fuisse coadunatum? Nonne videntur hæc favere oppositæ sententiæ, qua, omnino negantes Monstra Primigenia, statuunt, „ deformia animalium stamina in Conceptu dari „ nulla; omnes Fetuum partes a primo ortu regulariter „ esse ad Naturæ ordinem dispositas: sed dein, ubi omnia „ adhuc mollia sunt & flexibilia, per varias causas acci- „ dentales, prementes, concutientes, constringentes, si- „ milesve, mutari & corrumpi illum ordinem, alterari „ partium numerum, figuram, magnitudinem, situm, „ nexum; ideoque facile inveniri fetus, in quibus aliquæ „ partes duplices, aliquæ confusæ, aliquæ destructæ aut „ mutilatæ, imo aliquæ ad aliena loca transpositæ, repe- „ riantur „? Ita cum Veteribus sentiunt inter Recentiores HARVEIUS, VALLISNERIUS, LANCISIUS, LEMERIUS, DUVERNOY, MORGAGNIUS, BLONDEL, NICOLAI, Aliique, meritis & auctoritate conspicui Viri: & hanc hypothesin recoctam, & mirabiliter a cl. BUFFONIO ornatam, recepit non tantum, sed & ad explicandam Monstri canini, capite galli Indici præditi, generationem nuper adhibuit, cl. ELLERUS in Academiæ Berolinensis Commentariis (τ). Quamvis multum absit, ut talia Monstra Accidentalia negare velim, excusatum me tamen habeant, quæso, illius sententiæ Patro-

(τ) *Hist. de l'Acad. R. des Sc. & Bell. Lettr. de Berlin*, *Ann.* 1756, *pag.* 10 & *suiv.*

troni, ſi, Agni noſtri memoratam Spinæ fabricam ad confirmandam ipſorum hypotheſin facere, hucusque negaverim: reſponderi enim poſſunt varia, quæ, ſi motam objectionem plenarie non ſubvertant, pertinere tamen mihi videntur, ab robur ipſius plurimum diminuendum. Primo, animadvertendum eſſe cenſeo, vix a confuſione tali duorum Fetuum exſpectari poſſe tam exactam Spinarum coalitionem, ut unica naſcatur ex dextra unius & ſiniſtra alterius parte, quin ulla deletorum laterum ſuperſint veſtigia, ſed e contrario tanta ſit perfectio, ut ad præfinitum ſcopum illa Spina potius ita facta fuiſſe appareat: neque minus obſtare partium reliquarum ſceleti talem annihilationem, ut, quod duo Fetus adfuerint hic antea, nulla nota ſuperſtes indicet. Secundo, videtur potius relicta illa Linea a ſingulari oſſificationis modo in hoc animalculo, quam a Spinarum confluxu, originem traxiſſe: accommodavit ſeſe Natura hic, ut ubique, ad ſua objecta individua: in Vertebris, ſolito latioribus, duobus locis Corporum oſſificatio incepit, inque tenero & Spina Bifida laborante Agnello, nondum confluxit in medio; cartilago itaque remanſit, quæ junctis vertebris illam Lineam exhibet, poſthac, protracta oſſificatione, haud amplius futuram. Neque ſola ratiocinatio, ſed & ipſa Sceleti inſpectio, hanc opinionem confirmat: ſimilem enim Lineam in iis Spinæ vertebris obſervamus, quæ Dorſi Furcam formant,

ac

ac in Dorſalibus inferioribus & Lumbalibus (cf. §. XXXVII, ut & Tab. IV, fig. I, *ii*), quam ſi a duarum Spinarum coalitu vellemus derivare, oportuiſſet antea adfuiſſe quatuor Spinas: quid ergo obſtat, quin eadem cauſa, quæ utrimque in ſex ſuperioribus Dorſalibus effecit illam Lineam, potuerit ſimilem in inferioribus & Lumbalibus efficere? Fiſſura forte, quam alicubi in Spina oportebat efformari, & de cujus determinato loco, in initio formationis Agni Bicipitis, videbatur minus certa dari ratio, ad reliquas quippe partes etiam accommodanda, providæ Naturæ talem ſuſcitavit oſteogeniam, quæ iſti ſcopo convenientior eſſet: in oſſe ſaltem Sacro, aut in Vertebris Cervicalibus, ubi ſcopus ille abeſt, alia locum habet oſſificationis methodus. Tertio, ad Rudimenta Coſtarum animum advertenti apparet ſponte, ex protracto maxime proceſſu Transverſo primæ vertebræ dorſalis ſiniſtræ, non omnia hæc Coſtarum rudera eſſe: in ceteris cernitur facile, Naturam, legibus fere immutabilibus adſtrictam (a quibus recedere ipſi quaſi religio eſt, niſi commiſſum errorem compenſet), inter duas Spinas divaricantes affectaſſe formationem earum partium, aſt non perfeciſſe, quas in aliis formare ipſi & mos, & lex, eſt: fruſtra autem nihil productura (nam Coſtis hic opus non erat), Oſſicula quædam formavit, ſua utilitate non carentia, ad firmitatem Pectoris, Dorſi ſuſtentationem, Collorumque motus de-

terminationem, apte inservientia, suaque nunc structura non minus, quam utilitate, Costarum dissimilia. His tandem addere liceat, contra propositam objectionem & accidentales nostri Monstri causas pugnare, quidquid argumentorum ex reliqua Animalculi structura, pro primigenia ipsius formæ origine, quali in lucem prodiit, fuit adductum.

CAPUT II.

Partus humanus monstrosus Acephalos, simul cum Labio Leporino duplici, Palato fisso, Naso bifido: aliæ Fabricæ monstrosæ: ut & nonnulla de illarum Similitudine.

§. I.

Inter satis multa, quæ mihi occurrerunt a consueta Naturæ forma in Hominibus, præcipue junioribus, aberrantia, vulgo Monstrosa dicta, notabilis maxime & valde rara mihi visa fuit Triga Casuum, qui brevissimum intra temporis intervallum in hac urbe contigerunt, sequenti ordine se invicem excipientes. Circa Anni CIↃIↃCCLIX finem vocatus ad parturientem, strenui Militis Germani uxorem, difficili partu laborantem, paulo post applicata quædam Artis auxilia exclusum vidi, quem etiamnum confer-

ſervo, *Fetum Acephalum*, toto quidem corpore perfectum & robuſtum puerum, aſt Capitis, collo breviore ſuffulti, ſuperiore parte maxima deſtitutum. Cranii quippe galea fere a ſuperciliis, oculos permagnos & valde protuberantes ſuperne definientibus, usque ad imam occipitis partem, deeſt: oſſa Temporum compreſſa, & in duo quaſi tubera nonnihil elevata, ſunt: Oſſium defectum adimplet maſſa ruberrima, deformis, cerebri rudera exhibens, tenui membrana tecta, humorem ſanguinolentum per foraminulum, quod durante partu factum erat, effundens. Hujus vero Monſtri ampliorem hiſtoriam hic exponere non conſtitui: quam tuto omittere poſſe mihi videor, quod ſimilium deſcriptiones apud varios exſtent Obſervatores, neque deſint delineationes, cum noſtro fere convenientes, quales, ut exemplum indicem, occurrunt in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum (α), & J. Denijs Tractatu obſtetricio (β). Cauſæ cuidam accidentali, Capiti iſti, adhuc molli & tenero exiſtenti, vim inferenti, originem hujus fabricæ præternaturalis eſſe adſcribendam, inficias ire quidem nolo, qui in dubiis & incertis a decidendo abſtinendum eſſe cenſeo; id tamen haud prætereundum eſſe duxi, me ſedula cum attentione ipſam primo Puerperam, dein illius

(α) Ephem. N. C. Dec. I, Ann. II, Obſ. XXXVI, *fig.* 1 & 2.

(β) *Ampt en Pligt der Vroedmeeſters en Vroedvrouwen*, *pag.* 197, *fig.* 5 *en* 6.

illius Maritum & Matrem, tandem quoque Adſtantes rogaſſe, utrum durante graviditate prægreſſa fuerit, quam in memoriam revocare poſſent, ulla ex Imaginatione, Terrore, Impreſſione, Contuſione, Lapſuve pendens violentia? negaſſe autem omnes, ſibi quidquam conſtare, quod ad iſtas vires, aliamve accidentem ſimilem cauſam, reduceretur. Nihilominus tamen præjudiciis occæcatum vulgus famam excitavit, quæ eundo quoque creſcebat, terrorem, ſpectaculo arietis mactati productum, huic monſtro cauſam fuiſſe; cornua itaque capiti ipſius innata finxit, aliaque, quorum ne veſtigium quidem obſervatum fuit.

§. II. Vix dein elapſo ſex hebdomadarum ſpatio alius ad me delatus fuit infans recens natus, toto corpore perfectus, aſt Labio Leporino duplici, ſimulque Palato maxime fiſſo, laborans, ut oris nariumque cava amplo hiatu communicarent inter ſe, & facies deformem talem præ ſe ferret ſpeciem, qualis cernitur in Actis Academiæ R. Chirurgicæ Pariſinæ (γ). Sugendi facultate carentem, & difficillima, ſi ulla, deglutitione valentem, miſellum tanto majore cum animi ægritudine conſpexi, quod ipſum, certæ fere morti proximum, incurabilem, triſtesque parentes optato ſolamine deſtitutos, dimittere fuerim coactus.

§. III.

(γ) *Memoir. de l' Acad. R. de Chirurg. Tom. I, pag. 605, Tab. I, fig. I. & II.* Conf. etiam Act. Phyſ. Med. Vol. I, Obſ. LXXIV. Tab. IV, fig. I.

§. III. Cum nondum præterierat menſis ſpatium, alium nactus iterum fui Partum Monſtroſum, in quo uno eodemque, mirabili & valde ſingulari exemplo, utrumque vitium, in §§. I & II memoratum, conjunctum erat: ita ut *Acephalos* eſſet, *cum duplici labio leporino & palato fiſſo;* qui nihilominus naturalem geſtationis terminum attigit, & poſt partum ſuæ vitæ indicium reſpiratione, & voce ſua, edidit: quemque etiamnum aſſervo inter rariora, dum ejus ulterius examen, diſſectione inſtituendum, a me, propter ſingularem fabricæ degenerationem, impetrare non potui. Quum vero inter multas, quæ Acephalorum proſtant, deſcriptiones & figuras, nullam invenerim, quæ cum noſtro congruat, haud ineptum eſſe cenſui, hiſce Obſervationibus inſerere delineati hujus infantis brevem expoſitionem, clarius intelligendam intuitu Tabulæ quintæ, cujus figuræ ſpeciem illius triplici adſpectu exhibent.

§. IV. Totius corporis partes, excepto ſolo Capite, juſta magnitudine, & forma naturali, præditæ cernuntur, quales in maturis recens natis eſſe ſolent. *Capitis* forma, tota fere præternaturalis, ſequenti modo ipſi contigit. In Facie *Maxilla inferior*, *Genæ*, & *Auriculæ*, & omnia, quæ infra has partes ſunt, a naturali fabrica non degenerarunt. *Os* valde apertum eſt, & intus continuum cum Naribus cavum efficiens, quum (quod in figuris conſpici non poteſt) Palatum ſtabile & molle a gingiva usque ad fauces

magno hiatu fiſſum eſt, in cujus medio a narium ſummitate dependet ſeptum naſi, undique tunica membranæ pituitariæ continuata, inveſtitum: in quam cavitatem patet via, a naſo externo, per foraminulum mox indicandum. Apertura oris formata eſt a *Labio inferiore* integro, maxime rubro, formam naturalem habente, & *Labio ſuperiore*, utrimque fiſſura, quæ usque ad nares pergit, deformato: defectum ejus inter duas fiſſuras quodammodo ſupplet Globulus, ex narium intervallo ſuſpenſus, priſtinæ labii ſubſtantiæ reſiduum exhibens: a cujus latere cum duæ profundæ ſint fiſſuræ ad nares usque extenſæ, & maxillæ ſuperioris gingiva pone illas etiam ſit fiſſa, natum inde fuit duplex Labium Leporinum. *Oculi*, maxime a ſe invicem diſtantes, valde prominuli ſunt: dexter palpebris clauſus eſt; ſiniſter apertus, & ingenti inflammationis rubedine perfuſus: apertura iſta videtur cauſæ accidentali, poſt partum applicatæ, eſſe tribuenda. In *Naſo* hujus pueri formando maxima, præ ceteris faciei partibus, contigit deformitas.

§. V. Ille namque Naſus omnino bifariam diviſus eſt in dextram ſiniſtramque partem: cuilibet parti ſua eſt ala, narium via aperta, lobuli portio, radix dimidia, divergendo ſurſum & parum extrorſum extenſa, ut hiatus remaneat, & loco glabellæ ſpatium detur intermedium, ſola membrana tenui, rubente, illique continua, quæ cra-

nii

nii defectum adimplet, investitum. Ad summitatem dextræ nasi partis conspicitur tuberculum, quod verrucæ speciem exhibet, neque pilis destitutum est (vid. Tab. V, fig. I, II, & III, *a*). Intervallum, quod a divergentibus Nasi partibus formatum est, pro maxima parte replet *Corpus pendulum*, coni capitati figuram quodammodo referens, superiore, eaque majore, sui portione antrorsum valde mobile, & utrimque a naso liberum, profundaque fissura distinctum: superius constat Capitulo duriusculo, rotundo, facto, uti videtur, a cutanea substantia radicis nasi, toto mobilissimo: media ejus pars est magis contracta, instar colli capitulum suffulcientis, a superiore versus inferiora crassescens, coniformis, longior, teneriore substantia, eaque tenui admodum membrana tecta, constans, rubella, desinens in partem inferiorem: quæ, mediæ continuata, crassescit in globulum, iterum densiore & tenaciore substantia formatum, infraque nares descendentem usque ad os, ut labii superioris pars desigurata videatur esse, & impleat hiatum ejus, quem duplex fissura reliquisset: estque hic globulus, ejusque ope totum hoc Corpus pendulum, a parte posteriore per frenulum labii superioris ad maxillam ita adnexum, ut quidem maxima pars instar paleæ antrorsum mobilis sit, inferior autem in eodem situ continuo firmetur: a parte denique posteriore, mox supra illud frenulum, occurrit Foraminulum, cui immis-

 sus

ſus ſtilus facile aditum ad nares, indeque in oris cavitatem, inveniebat. Hoc Corpus pendulum ſingulæ exhibent, diverſo tamen adſpectu, figuræ: vid. fig. I, II, III, *b*.

§. VI. *Superior Capitis pars* ita quoque a ſolita & naturali forma degeneravit, ut, quem Labio Leporino duplici laborantem modo conſpeximus, ſimul reddiderit Acephalum, Puerum. A turgentium enim oculorum ſuperciliis prominentibus deficiens os frontis, nec non utriusque oſſis parietalis abſentia, faciunt, ut loco galeæ oſſeæ calvariæ detur Apertura, illi fere ſimilis, quam in §. I memoravi, margine oſſeo turgidulo circumſcripta, a ruderibus frontis, juxta temporum oſſa, usque ad ſuperiorem occipitis partem tendens, neque integumentis communibus tecta, quæ per totum fere ambitum formant marginem cutaneum, quodammodo tumidum, abeuntem, ſubitanea degeneratione, in membranam tenuiſſimam, aperturæ iſti toti ſupertenſam, rubedine maxima imbutam (Fig. I, II, III, *cccc*). Per iſtam calvariæ aperturam, ſub tenui hoc integumento, apparet maſſa, fungoſa quaſi, Cerebri reliquias exhibens, cujus tota forma licet deformis evaſerit, pars tamen ſuperior aliquomodo illius viſceris ſpeciem adhuc conſervaſſe videtur, quia in illa ſuperſunt duorum hemisphæriorum rudera, ita facta, ut fiſſura ſatis profunda a ſe invicem pro maxima parte diviſa, poſterius rotundula terminentur, & Cerebelli reliquiis, ut vi-

videtur, incumbant, ita ut nihil ſuperſit, quod proceſſuum transverſorum Duræ Matris veſtigium indicet (Fig. II, *dd*). Omnis illa maſſa deformis ſanguinolenta apparet, indigeſta, irregularis, hic tuberoſa, alibi ſinuata, quemadmodum ſeſe offerre ſolent excreſcentiæ fungoſæ. Ab anteriore parte margo cutaneus, craſſior, iſtam maſſam circumdans, ſupra naſum non eſt in rotundum continuatus, ſed dehiſcit, utrimque deorſum in cutim naſi protractus, ut intervallum remaneat ad glabellam, inter duas naſi radices, quod adimplet continuatio illius membranæ tenuis, quæ aperturam calvariæ inveſtit (Fig. I, & III, *dd*).

§. VII. Quum tegumenta auferre, & ad interiora hujus Capitis examinanda procedere, dicta me impediverit cauſa, præter expoſita, nihil quidem de fabrica hujus Monſtri addendum habebam. Interim tamen ubi diſſectionis ulterior campus deficiebat, & varia circa hanc, aliasque Naturæ aberrationes a ſuo ordine ſtabilito meditabar, animum forte direxi ad mirabilem illam *Similitudinem*, quæ in illis Naturæ productis ſæpiſſime obſervatur, quæ præternaturalia appellari nemini fere ſcrupulum movet. Quoties quippe Naturæ luſus, in producendis Monſtris humanis, æque ac aliorum animalium, contemplatus, eorumque cauſam indagans, dolui arctiſſimos ingenii noſtri limites, & curtam diſciplinæ noſtræ ſupellectilem; toties ob-

obſtupui latentes illas cauſas finales, quarum certe ſcopo ut ſatisfieret, placuit adorando Numini, ut inter univerſi rerum Ordinis accidentia, adeo concinne & harmonice directa, tam ſæpe a recto generationis tramite deviarent Conceptus fetuum, eorumque incrementa: nunquam vero animum meum fortius detinuit ulla de monſtroſis fabricis ſpeculatio, quam Regularitas illa partium & ad præfinitum uſum adaptatio, non minus quam Similitudo maxima inter diverſa objecta monſtroſa, incredibilis futura, niſi fidelium obſervationum comparatione ex Monſtris, in lucem protractis & deſcriptis, tam certo conſtaret, ut nihil certius: maxime quum Similitudo illa, & qualiscunque fabricæ Conſtantia, in Naturæ luſibus (quos forte immerito ita nominamus) imprimis frequentiſſime occurrat in illis aberrationibus, quas in deſcriptis monſtris obſervavimus.

§. VIII. Labia Leporina unius lateris, & maximam inter ſe Similitudinem habentia, toties occurrunt, ut ſufficiat, miſſis obſervatorum libris, ad quotidianam in vita communi experientiam provocaſſe: inter rariores referenda videtur obſervatio Labii leporini in ſiniſtro latere cum parte palati fiſſa, quæ mihi nuper occurrit in Canicula recens nata, etiam nunc in ſpirituoſo liquore ſuperſtite. Labia quoque leporina utriusque lateris, una cum Palato, vel toto, vel pro parte, fiſſo, plurimis exemplis in Medicorum obſervationi-

nibus occurrunt: cum noſtra ad amuſſim convenit deſcriptio ſimilis plane fabricæ, quam nuper tradidit Anatomicorum princeps B. S. ALBINUS (δ). Ipſe durante mea in hac urbe praxi medica, vix novennium excurrente, decies quidem ſexies hocce malum in recens natis infantibus obſervavi: conſpexi ſemper cum inſigni dolore, quum tenellos illos, utut vivant, & alacres videantur, certam fere mortem manere, & Artem noſtram ipſis eo tempore nullam fere opem polliceri, candidus debuerim agnoſcere. Unum tamen inter illos anno præterito vidi, qui, quamvis, ut ſolent iſti, lac maternum ſugere non poſſet, & difficillime deglutiret, prudenti alimentorum lacteorum inſuſione in fauces, vitam ærumnoſam ultra tres menſes protraxit, ita tamen ut optata palati coadunatio toto illo temporis ſpatio non ſuccederet. In Commentario Actorum Acad. R. Chirurgicæ ſupra citato nonnulla etiam exempla, ex provectiore ætate deſumta, leguntur, ideo vel maxime conſulenda, quod indicatæ quoque ſint methodi, quibus huic malo obviam eundum eſt in iis, qui operationi ſuſtinendæ pares ſunt.

§. IX. Illorum Fetuum, quibus Galea capitis deeſſet, cerebrique totius degeneratio, & deformis cum cute coalitio, ſimileve aliquod vitium ineſſet, quique ideo, quaſi ca-

(δ) Academ. Annot. Libr. III, Cap. XII.

capite destituerentur, 'Ακεφαλοι appellari solent, trecenta forte exempla ex Medicorum & Chirurgorum scriptis colligere, haud multum laboris haberet: multorum sane recensionem jam exhibuit cl. HALLERUS (ε): inter quæ plurima dantur, quorum Similitudo permagna est. Contigit mihi septennii spatio sex tales Acephalos, doloroso semper valde spectaculo, observare, quorum tria adhuc conservo: neque adeo raram esse hanc pessimam fabricæ naturalis deformitatem, ac optandum esset, exinde patet: ast quemadmodum matronæ haud ignobilis partus ejusmodi nuperrime in hac urbe, absque ullius fere notitia sepulcro commissus, plane delituit, ita absque dubio plurimi tales eveniunt, imprimis ruricolis, qui ad Medicorum oculos non perducuntur, sed a matribus, nutricibus, obstetricibusque sedulo occultati, cæcæ amandantur terræ.

§. X. Neque minus illa fabricæ monstrosæ Similitudo locum habet in aliis corporum humanorum & animalium partibus, quam in memoratis. Superfluum forte videbitur, quod tamen monendum est, enarrare, quam sæpe Monstra fuerint visa, in eo simillima, quod duo Capita, quatuor Brachia, totidem Pedes habuerint; vel uno Capite cum

(ε) In Progr. *de Fetu humano septimestri sine cerebro edito*; vid. Opuscul. Anatom. pag. 283, not. 3: olim quoque eorum collectionem edidit M. MAPPUS, in Diss. *de Acephalis*, Argent. 1687. edita, quam tamen videre nondum mihi licuit.

cum duobus Truncis prædita prodierint; vel Collis, Pectore, Abdomine, Dorso, aliave parte corporum, connexa & coalita in lucem emissa sint, imo non externis tantum, sed etiam internis, organis inter se mirabiliter convenire, observata fuerint. In iis, quibus duplicatæ partes sunt, unicum Cor, uti in nostro Agno bicipite, reperiri, tam frequenter observatum est, ut, licet paucæ Observationes aliter exhibuisse dicantur, nonnullis illa fabrica pro Regula Naturæ sit admissa, indeque ratiocinentur, Naturam ex industria affectasse talem, quæ simplicior atque concinnior, & ad fabricæ suæ finem obtinendum optima, sit: „ Cor „ nempe unicum sanguinem suum æqua lege per omnia „ compositi Animalis membra potest distribuere, neque in „ circulatione metuenda est illa inæqualitas, indeque con- „ tinuo natæ turbæ, quæ orirentur, si sanguis ex duobus „ diversis cordibus in arterias impelleretur " (ζ). In hujus urbis vicinia feminam novi, quæ jam tertia vice peperit infantem, sex digitis in una manu præditum, dum neque a matris, neque a patris, parte, ulla illius singularis constantiæ causa apparet, nulla quoque terroris, imaginationisve, accusatio profertur. Notabilis valde est historia familiæ Malthensis, infantes fere omnes, sex digitis manuum pedumque instructos, in lucem edentis, quam exposuit

(ζ) Conf. Halleri Opusc. Anatom. pag. 181 & 185.

ill. DE REAUMUR (η). Similem plane obſervationem de Chirurgi Berolinenſis ſtirpe memorat clar. MAUPERTUISIUS (ϑ). Quid, quod propter plane eundem Naturæ luſum, genti proprium, quaſi a digitorum multitudine, nomen adepta legatur eruditis minime ignoti BILFINGERI familia (ι)? Omnium tamen maxime rara eſt illorum duorum Monſtrorum humanorum Similitudo, quæ deſcripſit cl. ABR. KAAU, magni Boerhavii nepos (κ): horum quippe partes externæ ita inter ſe conveniebant, ut in utroque forma a capite ad umbilicum uſque naturalis eſſet: infra illum, abdomen verſus inferiora ſenſim coarctatum in figuram pyriformem, cum appendice propendente, ab uno crure deformi facta, cerneretur, quæ in uno dextrorſum, in alio ſiniſtrorſum erat inflexa: neque minor in partibus internis convenientia apparebat diſſectione, ab egregio illo Viro exactiſſime deſcripta: cujus Similitudinis robur augetur, ſi contemplemur ſimilem omnino partum humanum, nuper deſcriptum & delineatum in Actis Helveticis a cl. JOH. HO-

(η) Vid. *l' Art de faire eclorre & d' elever des Oiſeaux domeſt. Tom. II, pag.* 377, *II Edit.* ut et, quæ ad hanc notavit C. BONNET, *Conſiderat. ſur les Corps organiſés, Tom. II, pag.* 307: quem Virum celeberrimum video nunc etiam recenſeri debere inter eos, pag. 43 citatos, qui Accidentalia tantum Monſtra admittunt: conf. Libr. cit. *Chap. VIII, pag.* 287 *& ſuiv.*

(ϑ) Vid. Ejus *Oeuvres, Tom. II, pag.* 275, *Ed. de Lyons* 1758, ſeu *Lettre XIV.*

(ι) *La Nouv. Biblioth. german. Tom. VI, pag.* 451.

(κ) Hiſtoria Anatom. Infantis, cujus pars corporis inferior monſtroſa, Petrop. 1754. ed., nec non Ejusd. Hiſt. altera anat. Infantis &c. ib. 1757.

HOFERO (λ): cum quo ſi comparemus in omnibus fere aſſimilem illum fetum monſtroſum, qui ab J. H. HOTTINGERO in Miſcellaneis N. C. eſt delineatus (μ), magis increſcit admiratio ſtupendæ fabricæ, majorque redditur cupido perſpiciendi tantæ Similitudinis in monſtroſis fabricis rationem.

§. XI. In iis quoque fabricæ naturalis vitiis, quæ ad morbos referri debent, nonnunquam eluceſcit eadem Similitudo. Hæc inter vitia haud raro occurrere ſolet Hernia umbilicalis, in ipſis jam tenellis Embryonibus conſpicua, qualem depingi curavit Anatomicorum princeps B. S. ALBINUS (ν), & qualem, dum hæc ſcribo, coram video in duobus embryonibus ſex circiter hebdomadarum, quos in ſpirituoſo liquore conſervo, fortunatos certe, quod dias luminis auras ipſis adſpicere non licuerit: uti me docuit inevitabilis mors ex tali fabrica præternaturali in Infante recens edito (cujus ſimilis, cum eventu æque triſti, laudato mox illuſtri Præceptori occurrit), in quo umbilicalis hernia tantæ magnitudinis, ut maxima pars Inteſtinorum eruperit in ſaccum tenuem, formatum ab expanſis Umbilici membranis, nulla arte intus teneri potuit, ideoque

 gan-

(λ) Act. Helvet. Phyſ. Math. Anat. Botan. Medica Vol. III, pag. 366, Tab. XI, XII, XIII, & XIV.

(μ) Ephem. N. C. Dec. III, A. IX, Obſ. CCXXXIII.

(ν) Acad. Annot. Libr. I, pag. 76, Tab. V, fig. III.

gangræna correpta misellum subito necavit. Cujus mali causa unde pependerit in Fetu, respiratione, & omni viscerum pressione, carente, ultro fateor me ignorasse: quod minus doluissem, si modo illud sanare potuissem. Anxie nempe in auxiliorum varium genus inquisivi, & tentavi varia remedia, nullum vero satisfecit scopo: &, an ullum detur, quod tuto possit adhiberi in pessimo hoc malo, tamdiu dubitabo, quamdiu meliora non fuerint proposita illis, quæ Nonnulli, me rogante, adversus talem Herniam connatam commendarunt. Videsis omnino similem casum a Medicis Francofurtensibus descriptum (ξ).

§. XII. Tandem illa Similitudo non tantum humanis adstringitur fabricis monstrosis, sed & in Animalia cadit. In Animalibus quippe vel ejusdem, vel alterius, speciei, similis aberrationis in excessu, vel defectu, numeri Capitis, Trunci, Artuum superiorum & inferiorum, aliorumve membrorum, toties occurrunt exempla, ut apertissime illa constet: antea quoque jam memoravi Similitudinem, quæ intercederet Agnum nostrum bicipitem, aliumque in Miscellaneis N. C. descriptum (ο): cum Felem capite semiduplici describeret cl. HALLERUS, varios animalium casus, haud absimiles, citavit (π).

C A-

(ξ) Select. Med. Francof. Tom. II, Vol. II, pag. 69.
(ο) Vid. Cap. I. pag. 36.
(π) Opuscul. Anatom. pag. 275.

CAPUT III.

Inteſtinorum Craſſorum Situs, a naturali maxime aberrantis, exempla varia, plurimorum Morborum cauſas illuſtrantia.

§. I.

Inteſtinorum Craſſorum ſitum naturalem, variis ſuis angulis & flexibus, haud parum favere morbis, a retardatione, vel retentione, fæcum, flatuum, vermium, aliorumque heterogeneorum, oriundis, Pathologi docent: docet vero Anatome, fontem iſtum malorum ſæpe uberiorem reddi, quando eadem Inteſtina a ſuo decurſu magis minusve aberrant, earumque materiarum excretionem inde difficiliorem reddunt. In noſtro Theatro Anatomico quum ſæpius tales Naturæ luſus videre mihi contigerit, ex pluribus Obſervationibus, in memoriam revocandas eſſe duxi potiſſimum tres: quæ uti raritate majore ſeſe commendabant, ita & ad Pathologicam & Practicam doctrinam illuſtrandam, inſervire poſſe, mihi videbantur.

§. II. In viro adulto, publice diſſecto, Inteſtinorum Craſſorum decurſum vidi & expoſui illum, quem Tabulæ VI Figura I exhibet. Inteſtini *Ilei* extremum *(f)* terminabatur parum minus dextrorſum, quam fieri ſolet, in *Inteſtinum Cæcum (g)*. Hoc in latere dextro, ad mediam cavi abdominis

partem ſolito magis adſcendens, flatibus maxime tumidum erat: cumque abiturum eſſet in Colon, formabat Plicam inſignem (*m*), remorandis iis, quæ intus continebantur, aptiſſimam. Inteſtinum *Colon* (*hhhhh*) ex priori ortum, vix parum adſcenderat, cum dextra ſui parte reconderet ſe ſub cartilaginibus coſtarum ſui lateris (*l*), & maxime in ſuperiora tenderet, ſpatium concedente Hepate, altiſſime poſito, nec non Diaphragmate, in pectoris cavitatem valde adſcendente. Tunc parum ſiniſtrorſum procedens, ad apicem oſſis pectoris usque (*d*), in cava hepatis parte deliteſcens, acutiſſimo angulo reflectebatur deorſum & dextrorſum, cum deſcripto priore tractu per celluloſam firmiter coalitum, ipſumque pro parte tegens, flatu valde diſtentum. Eo modo cum deſcenderat uſque ad plicam memoratam *m*, ſeu circiter ad umbilici regionem, ſecundo facto angulo acutiſſimo, iterum ſuperiora petebat arcuato ductu, primo ſiniſtrorſum, dein parum dextrorſum, inflexum, dimidia fere ſui parte ſub tractu ſecundo reconditum, eique tenaciter adhærens: ſic totum obtegens ventriculum, apicem oſſis pectoris & coſtarum ſiniſtrarum cartilagines ſubibat, ipſumque contingebat diaphragma (*h*, *h*, *l*). Tertium ibi, eumque valde acutum, angulum formans, deſcendendo pertingebat ad Lienem, ſolito more cum ipſo cohærens. Infra lienem recta fere deorſum tendens, cum Rene ſiniſtro connexum, hoc etiam loco flatibus ſummope-

re

re diftentum, apparebat mox violentiffime contractum per *Stricturam colicam*, quæ ad minimum pedis longitudinem æquabat (*kk*), totumque tubi inteftinalis ambitum ad digiti minimi craffitiem redegerat, unde omnis illius cavitas ita erat abolita, ut flatus Coli diftenti nec furfum premi, nec deorfum, poffet, licet vis fatis magna adhiberetur. In figura noftra tractus hicce conftrictus nimis recta defcendere videtur, qui in cadavere multo magis flaccidus, pendulus, & flexuofus cernebatur. Circa regionem iliacam finiftram valde expanfum denuo apparebat Colon (*kih*), inque pelvim perveniens, flexu figmoideo facto, abibat in Inteftinum Rectum, eodem, ac in aliis hominibus, modo.

§. III. Quamvis illius hominis morbos, mortisque modum, refcire non potuerim, patuit tamen ex iis, quæ cadaveris fectio exhibuit, fingularem iftum Inteftinorum fitum, caufam multorum affectuum produxiffe, dum credibile eft, illum multum contribuiffe ad moram & retentionem materiæ fæculentæ, & flatuum, indeque potiffimum natam fuiffe violentiffimam illam conftrictionem colicam: quæ quantum vigeat in vivo homine, fefeque pertinacem, & omnibus Artis remediis invincibilem, fæpius commonftret, docuit hoc exemplum; & evicit magis perdurans illa ftrictura in cadavere, ejusque tanta refiftentia, ut flatui omnem viam præcluderet; imo ne quidem tunc evanida effet, cum per tres circiter hebdomadas in aqua maceratum fuerat Inteftinum. Si præ-

præterea hujus Coli multo majorem, quam in aliis hominibus occurrit, longitudinem perpendamus, plurimum facientem ad diutius retinenda & exſiccanda illa, quæ eo continebantur; ſi remoram ex pluribus, iisque valde plicatis, & in ipſo cadavere tranſitum flatus impedientibus, flexibus natam, conſideremus; ſi ex utraque cauſa oriundam diſtenſionem, & partium vicinarum compreſſionem, perſpiciamus; ampliſſimus fons aperitur Symptomatum morboſorum, ex putridorum reſorptione, flatibus, alvi adſtrictione, Viſcerum, imprimis Ventriculi, Inteſtinorum, Meſenterii, Hepatis, Lienis, compreſſione, turbatisque totius fere abdominis functionibus, naſcentium, & veriſimiliter hunc olim hominem, præ reliquis, affligentium. Docet porro deſcripta fabrica, diaphragmatis inſolitam adſcenſionem, arctando Pectus, & liberam circulationem impediendo, produxiſſe reſpirationis difficultatem, cordis compreſſionem & palpitationem, Capitis mala a ſanguinis congeſtione oriunda, aliaque ſimilia, in totam corporis œconomiam redundantia.

§. IV. Secunda figura Tabulæ ſextæ exhibet Inteſtina Craſſa, inſolitam fabricam habentia, ex feminæ adultæ, phthiſicæ, cadavere, verſus anni CIƆIƆCCLVI finem in Theatro noſtro Anatomico inſtaurato primum publice a me diſſecto: quæ etiamnum, inter partes corporis humani rariores, conſervo exſiccata. *Inteſtini Ilei* pars extrema (*a*) ad Cæcum accedens, eique per multam, & firmam, ſub-

ſubſtantiam celluloſam alligata, priusquam in hujus ſaccum aperiatur, valde dilatatum eſt (*b*), ut infundibuli figuram haud male referat: quæ mutatio a ſolita ipſius forma nullam aliam agnoſcere videtur cauſam, quam quod præternaturales Inteſtinorum Craſſorum flexuræ & plicæ excitaverint frequentes Cæci oppletiones, ſicque materiæ, ex Ilei fine in Caput Inteſtinorum Craſſorum tranſituræ, oppoſuerint validam reſiſtentiam, ſenſimque iſtam dilatationem produxerint. *Appendix Vermiformis* (*c*) ex poſteriore, parumque ſiniſtra, fundi Cæci parte dependens, eum inter & Ilei finem ſiniſtrorſum producta & inflexa eſt. *Inteſtinum Cæcum* (*d*) magnum, & valde diſtentum, oſſi Ilei dextro incumbens, ad ſolitam fere altitudinem adſcendit, ſenſimque anguſtatum abit in *Colon:* quod a Rene dextro, cui adnectebatur, ſiniſtrorſum tendens Flexum efficit primum (*e*), anguloſum, adeo plicatum & anguſtum, ut in cadavere non absque difficultate transmitti poſſet flatus in Cæcum impulſus. Abinde maxime inflexum Colon pergit ſiniſtrorſum & deorſum, juxta latus ſiniſtrum Cæci, cui per multam & tenacem celluloſam, pinguedine refertam, adnexum eſt, donec pertingat ad coalitum Ilei cum Cæco, cum quo itidem connectitur. Imprimis autem verſus illum coalitum ſingulæ hæ partes inter ſe firmiter nectuntur lamina membranacea (*k*), ex denſiſſima celluloſa facta, quæ tantam præ ſe fert firmitatis ſpeciem, ut,

jam a nativitate hafce partes ita difpofitas fuiffe, arguere videatur. Ifto decurfu abfoluto, Colon format Flexum angulofum fecundum (*f*) omnino præternaturalem, & adeo acutum, plicatumque, ut quoque cum difficultate flatui impulfo viam concederet: ab eo furfum & parum dextrorfum tendens, per multam cellulofam tractui fecundo (*ef*) eft adnexum, pergitque ultra flexus primi altitudinem, cohærens in cadavere cum Rene, Hepate, Ventriculo: & tum demum efformat Flexum tertium (*g*), fatis fimilem illi, qui naturaliter in latere dextro adeffe folet, adeoque minus acutum, & refiftentem. Ab hoc denique angulo Colon fub ventriculo e transverfo per abdomen pergens (*h*) ad Lienem, ulterius naturali modo totum fuum decurfum abfolvit, ita tamen ut, ubi a latere dextro abdominis ad finiftrum procedebat, fæcibus infarctum, arcuato modo dependens, usque ad umbilicum defcenderet.

§. V. Ex fabrica illa præternaturali expofita quanta mala, ob nimiam retentionem fæcum, flatuum, aliorumque excrementorum oriunda, nafci potuerint, debuerintque, fatis liquet, fi perpenfis iis, quæ in §. III dicta fuerunt, addamus, quanto cum labore inflatus aër in ipfo, ceterum laxo, cadaveris Inteftino, tantummodo fuperare potuerit refiftentiam Flexuum primi & fecundi; fed vel maxime edocemur variis effectibus morbofis, ex defcripta partium deviatione natis, quos cadaver ipfum exhibuit. Colon

lon nempe Transverſum ita ſecum ad inferiora traxerat Ventriculum connexum, ut præternaturalem plane ſitum hic accepiſſet. Flexus ille primus *e*, quum absque dubio in viva femina non ſine inſigni difficultate materiam fæculentam & flatus transmittere potuerit, interimque ſacco Cæci propior, quam in ſtatu naturali, & Reni dextro tenaciter adnexus, eſſet, frequenti ſua diſtenſione tantopere deorſum e ſua ſede traxerat renem, ut margo ejus ſuperior poneretur eadem altitudine, qua margo inferior Renis ſiniſtri, locum ſuum naturalem occupantis. Quænam porro mala in vicinas partes abdominales redundaverint ex dictis, imprimis quoad Vaſa meſenterica, Inteſtina Tenuia, Ventriculum, Renem dextrum, aliaque viſcera, quum captu difficile non ſit, non amplius iis indicandis immorabor, ſed ad tertiam, quæ huc ſpectat, tranſibo Obſervationem.

§. VI. Minus quidem complicata, aſt effectibus morboſis excitandis æque idonea, eſt illa Inteſtini Coli præternaturalis fabrica, quam Tertia figura Tabulæ ſextæ exprimit, deſumtam ex cadavere adulto, quaeque etiam nunc mihi in promtu eſt. Cæcum in hoc nihil obtulit, quod contrarium eſſet conſueto partium ordini: neque Coli Inteſtini principium. Ubi vero Colon Transverſum (*a*) in latere ſiniſtro ad Lienem accedebat, non formabat flexum illum ſatis ſimplicem, fere rectangulum, uti plerumque; neque nodi

aut laquei ſpeciem, qualem depinxit B. EUSTACHIUS (α); neque minorem talem complicationem, qualem in A. VESALII figuris cernere eſt (β); ſed efficiebat *Anſam* ingentem (*def*), quæ oblique verſus ſuperiora & ſiniſtrorſum extenſa, ultra ſex pollices in Inteſtino, quod flatu eſt diſtentum, longa, & Lieni, vicinisque partibus, alligata erat vinculis celluloſis & membranoſis. Introitus illius Anſæ (*d*), nec non exitus ejus (*f*), plicis & rugis adeo erant obſeſſi atque anguſtati, ut a parte Coli ſuperiore *a*, aut inferiore *b*, ægre aliquid ingredi poſſet, ſique ſemel illa obſtacula vicerat id, quod intus in illa incluſum eſſet, vix ac ne vix quidem egredi valeret. Margines Inteſtini, ſe invicem reſpicientes, validiſſime coaliti ſunt per membranaceam ſubſtantiam (*g*), tenacem, inſigni vaſorum copia ſtipatam, adipe refertam, meſocoli partem præ ſe ferentem, qua totum intervallum erat adimpletum.

§. VII. Nulla ſuboriri poteſt dubitatio expoſitam fabricam intuenti, quin hic etiam homo laboraverit, durante ſua vita, frequentibus malis, ex illorum ſpecie, quæ, ex prioribus fabricæ ſingularis exemplis deducta, ſuperius propoſita fuerunt; ſpeciatim vero ſæpius afflictus fuerit torminibus iſtis colicis, homines in exercitiis validis, curſu, ut & poſt ventriculi repletionem, ſæpe afficientibus, perperam innocuo Lieni a vulgo adſcribi ſolitis.

C A-

(α) Tab. Anatom. X, fig. IV & V.
(β) Anatom. C. H. Libr. V, fig. VIII.

CAPUT IV.

Inflammatio vera Cordis, in ſuppurationem, cum Pericardii hydrope, abiens, lethalis, ſectione Cadaveris detecta. Pericardii & Pectoris Hydrops, ut & Tranſſudatio humoris purulenti in Thorace, ex aliis cadaveribus, hac opportunitate memorata.

§. I.

Obſervationes nonnullas Anatomico-pathologicas conſcribere cupienti, rariores inter, quas in cadaverum ſectionibus inveni ſatis numeroſas, agmen ducere debere non immerito mihi viſa fuit illa, quæ Morbum, in titulo hujus Capitis indicatum, declarat, novoque exemplo evincit, falſiſſimam eſſe, innumeris aliis Cordis affectibus adverſam, Veterum ſententiam a PLINIO (α) traditam, nempe „ Cor ſolum non macerari viſcerum vitiis, nec ſupplicia vitæ trahere: læſumque mortem ilico afferre. " Hiſtoriam morbi, quem ipſe tractavi, ſequens eſt.

§. II. Vir annos circiter triginta octo natus, generoſus, robuſtus, militum præfectus ſtrenuus, dura corporis exerci-

(α) Natural. Hiſtor. Libr. XI, Cap. XXXVII.

citia paſſus, temperamentum habens ſanguineo-cholericum, cum rigida ſatis corporis ſtructura, ſæpius fuerat afflictus inflammatione partium internarum Thoracis, indeque pectoris oppreſſione, & reſpiratione difficili, laborare ſolitus: qua diſpoſitione aliquot abhinc annis vexatus, tandem vernali tempore, poſtquam ſubitaneo refrigerio ſeſe expoſuerat, denuo incidit in Inflammationem Pectoris validam, quæ ab ordinario Legionis ipſius Medico pro Peripneumonia vera habita, eaque indicatione, ad modum hujus morbi, venæ ſectione aliisque remediis rite tractata, fuerat. Advocatus ego quinto morbi die omnia ſymptomata iſti morbo, graviter ſævienti, adeo convenire deprehendi, ut Medici illius diagnoſi, æque ac curandi methodo antiphlogiſticæ, calculum meum adjicere, æquum cenſerem, juſtumque: quum nihil eſſet, quod aliquam ab aliis peripneumoniis differentiam, etiam a poſteriori, indicaſſe poſſet videri, niſi forte maxima & continua Cordis palpitatio, & Pulſus irregularitas atque intermiſſio, qua æger moleſte admodum vexabatur; quæ tamen dicto etiam morbo haud raro adeſſe ſolent ſymptomata. Variis remediis juxta Artis regulas adhibitis ſenſim quidem præcipua inflammationis ſymptomata, febris, deliria & oppreſſiones, cedebant & diminuebantur; perdurabat vero violenta illa Cordis palpitatio, pulſus irregularis & intermittens, reſpirationis maxima difficultas, dolor internus, aſt præcipue

pue

pue ponderofa valde thoracis preffio: ex quibus, quum toto decurfus morbi tempore nulla bonæ crifeos figna apparerent, in abfceffum tendere peripneumoniam conclufimus. Remediis contra illum ftatum propinatis, æque ac quibuscunque falutaribus Naturæ conaminibus, repugnare morbi violentia, effecta ejus indies aucta, imprimis illa pectoris aggravans preffio (quam centum quafi libris innitentibus comparabat) ægrum ulterius vexare atque frangere, pergebant, ut tandem decimo octavo ab ingruente morbo die fuccumbere debuerit.

§. III. Veniam dein nactus Cadaver ægri noftri infpiciendi, ad internas Thoracis partes examinandas animum primario direxi. Quo aperto, vidi Pulmones undique tam firmiter cum Pleura connexos, ut intercedens fubftantia cellulofa, ex condenfato rore arteriofo nata, denfitate fua atque tenacitate partium harum feparationem, fine læfione, vix permitteret. Quod quidem haud raro contingere in vivis hominibus, præcipue noftratibus, ex plurimorum cadaverum fectione mihi conftat: nullum enim memini me, five privatim, five publice, aperuiffe adultum, in quo uterque, vel faltem alteruter, pulmo, non fuerit magis minusve cum cavo pectoris coalitus. Illi autem coalitui, tam firmo in hoc corpore, haud dubie prægreffi Thoracis morbi anfam fuppeditaverant. Pulmones ceterum erant integri, & ad fpeciem fani, ut mirabundus viderim illos veram morbi,

bi, qui ægrum occiderat, ſedem non exhibere: erant tamen in parvam valde molem compacti, quoniam maximam partem cavi Thoracis diſtentum replebat Pericardium, ſicque tantummodo arctum ipſis ſpatium concedebat. In hoc dein aperto detexi manifeſtiſſimam morbi & mortis cauſam: continebat enim ultra duas libras communes ſeroſi humoris, multa materia purulenta permiſti, qui illud in ſaccum valde amplum diſtendebat ad omnes cavi Thoracis regiones. Membrana illius, lineam pollicis excedens ſua craſſitie, pro more tumorum cyſticorum, intus commonſtrabat prægreſſæ inflammationis veſtigia, quoniam ſuperficies undequaque per ſuppurationem eroſa erat. Cor in iſto pericardio hærebat, parvum, compreſſum, flaccidum, dicto humori innatans, effectaque inflammationis gerens haud minus obſcura: per totum namque ejus ambitum reliquiæ aderant ſuppurationis, ſuperficies ejus ventriculorum, auricularum, ſinuum, & vaſorum majorum, pro maxima parte erat lacera & eroſa, dum aliae quoque portiones cum pericardio concreverant. Quæ omnia facile indicabant, ægrum noſtrum laboraſſe vera Cordis Inflammatione, in ſuppurationem cum Pericardii hydrope abeuntem, eique ſuccubuiſſe, adeoque errorem quidem in diagnoſi adfuiſſe, eo autem facilius condonandum, quod ſigna characteriſtica, Inflammationem cordis a Peripneumonia diſtinguentia, incertiora adhuc habeantur, inque curandi me-

methodum certe nullum ex eo irrepſerit vitium, quod ægro nocuerit.

§. IV. In Medicorum ſcriptis non adeo rari occurrunt Hydropes pericardii, ſuis ſignis difficulter in vivis diſtinguendi, etiam illis, quæ recenſet H. F. ALBERTINUS in Actis Bononienſibus (β), utpote aliis morbis communibus. Anno præterito in puero, qui ex Pulmonum exulceratione & tabe mortuus, propter violentiæ externæ ſuſpicionem examini forenſi exponebatur, ipſe inveni utrumque pectoris cavum maxima aquae copia, pure admiſto, repletum; Pericardium maximam humoris ſeroſi copiam continens; inque eo Cor ultra dimidiam ſuæ molis partem diminutum; compactos & parvos Pulmones; vaſa majora valde arctata & compreſſa. Rarior eſt vera Cordis inflammatio, qualem deſcripſi in præcedentibus §§: quæque raritas inter primarias cauſas eſt, quod ſigna pathognomica ejus incerta ſunt, neque facile ſtabiliri poterunt, niſi exactas morborum pectoris deſcriptiones ſequantur cadaverum frequentiores diſſectiones: minus tamen raram, quam pleriſque putatur, eſſe illam, evincunt ſæpius obſervata ulcera Cordis, prægreſſam inflammationem arguentia (γ): morbum

K hunc-

(β) Comment. Acad. Bonon. Tom. I. pag. 389. cf. TH. BONETI Sepulchret. Libr. II, Sect. VIII, IX, & X.

(γ) Quale exemplum, cum addita prægreſſi morbi hiſtoria, invenimus in L. RIVERII Obſerv. Med. Cent. I, Obſ. LXXXVII: alia occurrunt apud J. SCHENCKIUM in Obſerv. Medic. Libr. II, de Corde, pag. m. 298 & 299; in T. Bo-

huncce Cordis, noſtri inſtar etiam in hydropem pericardii abeuntem, eique ſatis ſimilem, niſi quod a cauſa externa originem traxerat, tradidit G. FABR. HILDANUS (δ). Solet interim in cadaveribus nonnunquam occurrere talis Cordis, Pericardii, atque vicinarum partium facies, quæ indicare videtur ſuppurationem & prægreſſam inflammationem, aſt Obſervatori imponit, exigitque inſignem in judicando prudentiam; ne fallatur ſpecie veri. Vidi aliquoties ſuperficiem externam Cordis, & internam Pericardii, cruſta purulenta tenuiore, aut craſſiore, obductam, ſed illæſam, nullaque veſtigia inflammationis & ſuppurationis habentem, cum illa leniter deraderetur vel ablueretur: ut ex vaſis exhalantibus eo depoſitam, perque actionem Cordis ſenſim condenſatam, fuiſſe iſtam materiam, veriſimile eſſet. Idem in aliis Viſceribus obſervavi. Nunquam vero hæc res animum meum fortius detinuit, quam in cadavere A°. CIƆIƆCCLVIII diſſecto: in quo, cum, poſt expoſitas externas Thoracis partes, coram Auditoribus aperirem illius cavum, eo animo, ut ſitum naturalem viſcerum, quæ illo continentur, ante oculos ponerem, ſterno levato nihil ſeſe obtulit, niſi collectio materiæ purulentæ,

T. BONETI op. cit. Libr. II, Sect. VIII, Obſ. VIII, XXXVII & XLI, Sect. IX, Obſ. XI & XLII; Sect. X, Obſ. II & VIII; ut & apud JOB. VAN MEEKREN Obſ. Med. Chirurg. XXXV; STEPH. BLANCARDUM Anat. Pract. Ration. Obſ. XL & LXXXIII; Alioſque.

(δ) Obſervat. Chirurg. Cent. II. Obſ. XXVII.

tæ, totam cavitatem pectoris adeo replentis, ut Pericardii, Pulmonum, aliarumque partium, ne hilum quidem conſpici poſſet, referretque præſentiam magni Empyematis, & organorum thoracis corruptionem, quæ illam exercitationem ad aliud cadaver differre mihi ſuaderet: re autem penitius perſpecta, longe aliter apparuit id, quod præter naturam adeſſe videbatur: nihil puris fluidi in pectore continebatur, illudque quod puris habitu primo adſpectu ſeſe obtulerat, erat cruſta purulenta, ſatis denſa & craſſa, extus obducta dictis viſceribus, totique interiori pleuræ ſuperficiei: hac autem remota prodibant pulmones, pericardium, aliæque partes integerrimo in ſtatu: integerrimæ quoque pleura, partesque, quas inveſtit, cavi thoracis cancellos conſtituentes: quocunque modo tractarem Pulmones, in iis nulla ſuppurationis, aut vomicæ, veſtigia vidi, illosque non minus Prælectionibus Academicis idoneos, ac vicina organa, deprehendi. Nonne ergo laboraverat hic homo tabida iſta puris, vel ſaltem puri analogi humoris, intra vaſa geniti, exhalatione, quam variis exemplis confirmavit clar. ANT. DE HAEN (ε), quemque morbum haud inepte Vomicam ſine cyſtide appellare poſſumus cum cl. VOGEL, Profeſſore Gottingenſi

 me-

(ε) Vid. Ejus Rat. Medend. in Noſoc. pract. Vindob. Part. I, Cap. VII, nec non Part. II, Cap. II.

meritiſſimo (ζ)? Sufficiet autem hac opportunitate breviter tantum indicaſſe has Obſervationes, cum noſtri ægri morbo aliquem nexum habentes, Pathologiæ illuſtrandæ forte inſervituras.

CAPUT V.

Paſſio Iliaca ſubito lethalis, a mirabili Inteſtini Ilei Incarceratione interna; ejusque membranarum Prolapſus valde ſingularis.

§. I.

Femina robuſta, plethorica, ſana, annos circiter quadraginta nata, ſerviendo puerperis victum quærere, adeoque pavimentis lapideis ſæpe denudatis pedibus ingredi, ſolita, nonnunquam colicis doloribus afflicta, die IV Decembris A. CIↃIↃCCLXI ſubito incidit in tormina abdominis violenta circa regionem dextram iliacam, maximis anxietatibus, vomitibus continuis, doloribus per totum abdomen diſperſis, alvi conſtrictione tenaciſſima, Ventris intumeſcentia inſigni, pulſu contracto & parvo, aliisque peſſimæ Iliacæ Paſſionis ſymptomatibus, ſtipata: quæ contra re-

(ζ) Vid. Diſſ. *de Vomica Pulmonum ſine cyſtide*, Præſ. R. A. VOGEL, Reſp. S. H. A. KEISER, Gotting. 1762.

remedia quæcunque tum interna, tum externa, ab experto æque ac prudenti Medico propinata, tantopere increverunt, ut quadragefima octava circiter hora post morbi acceffum[l], animam efflaverit mifera illa. Sermones vulgi excitatos de veneno huic feminæ exhibito (ne dicam de fufpicione nonnullorum, incantamentum accufantium) premere juffit prudentiffimo confilio ampl. hujus urbis Magiftratus, mihique, nec non illi Medico, qui defunctæ durante morbo adfuerat, fectionem cadaveris mandavit, altero poft mortem die: in quo, quæ valde notabilia nobis deprehenfa, & publice meis Auditoribus poftridie expofita, fuere, optime videntur mereri, ut inter Obfervationes rariores locum obtineant.

§. II. Hoc Cadaver externe nihil notandum nobis exhibuit, nifi quod Abdomen totum, maxime ea parte dextra laterali, quæ dolorofa valde jam a morbi principio fuerat, ultra modum effet tumidum; totumque corpus a putredine multo magis fœteret, quam hoc hyberno tempore fieri in aliis folet. Abdomine aperto, mox Inteftina Tenuia, flatibus fummopere extenfa, erumpebant magna vi foras. Omentum ita ab Inteftinis furfum devolutum erat, ut nuda hæc contingeret peritonæum, laxe quidem eorum maximam portionem coërcens, attamen in fuperiore parte laterali cum iis fatis firmiter coalitum. Ventriculus habebat non tantummodo fitum, verum etiam magnitudinem,

colorem, ceterumque habitum, naturalem; neque intus in eo aliquid detegi poterat, quod ſuſpicioni aſſumti veneni ullo modo faveret. Eodem modo res ſe habebat de Inteſtino Duodeno: neque aliter erat de maxima parte Inteſtinorum Tenuium, ſanum omnino ſtatum præ ſe ferentium, excepta portione illorum extrema, quæ Ileum appellatur. Inteſtina Craſſa, ut & reliqua viſcera abdominalia, nihil denotabant, quod a ſtatu ſano recederet.

§. III. Inteſtinum Ileum in regione iliaca dextra cavi abdominis, quam ab initio, & per totum funeſti morbi decurſum, præcipue occupaverant dolores, cauſam ejus, & ſubitaneæ mortis ipſum inſequentis, facile monſtrabat: vidimus nempe in eo violentiſſimam non minus, quam rariſſimam, Incarcerationem, indeque natam inflammationem & gangrænam, quæ occupabat omnes illius flexus gyroſos, a loco conſtrictionis usque ad finem Ilei ſitos, ſed ultra illos non erat extenſa, id quod diſtinctiſſime determinabat coloris diverſitas, qui in omni ejus parte incarcerata ruberrimus, aut potius lividus & nigricans, apparebat, in reliqua naturali ſimilis. Tota illa inteſtini moles, in globum quaſi coacta, tumida valde, ſpeciem Herniæ incarceratæ internæ exhibens, præter copioſiſſimam materiam fæculentam, intus coërcebat permultos flatus, tubum Ilei immaniter diſtendentes: continere præterea apparuit Fragmentum Oſſis bovini, octo circiter lineas polli-

cis

cis longum, & quatuor latum, cum carne bovina, quam haud ita diu ante comederat, verisimiliter ingestum, scabrum, asperum, irritando & pungendo aptum, feliciter quidem per vires tubi intestinalis motrices ad locum hunc usque propulsum, exitum tamen ipsius coarctatum transire nequiens.

§. IV. Ad distantiam circiter ulnæ ab insertione Intestini Ilei in Cæcum, mensura facta in tubo intestinali in rectum extenso, ex ea parte Ilei, quæ adnexui mesenterii opposita est, enata cernebatur appendix sacciformis, mirabilem tunicarum Intestini exhibens *Prolapsum*, quatuor fere pollices longum, eadem fere, qua ipsum intestinum, capacitate præditum, in principio tamen quodammodo coarctatum, dein ex colli specie in saccum ampliorem, indeque in finem, seu extremum tenuius & cæcum, terminatum, amplo orificio cum cavo tubi intestinalis communicantem, ut per hoc facillime iret, rediretque, flatus, & fæculenta materies nigricans, qua totus hicce saccus infarctus erat: totus quoque inflammatione & gangræna correptus. Singularis hujus fabricæ figuram reliquis addere necessarium mihi non visum fuit, quod ex similibus observationibus, uti illis, quæ a clariss. nostro FR. RUISCHIO variis locis memoratæ & depictæ sunt (α), apud

(α) Catal. Rar. pag. 149, Fig. III; Thesaur. Anat. VII, N. II & XV, fig. II, & III. &c.

apud quem *Diverticulorum* nomine insigniuntur, ut & ex alia ab J. R. ZVINGERO tradita (β), nec non ex figura, quam cl. nostratium Chirurgus ULHOORNIUS depingi curavit (γ), a Curiosis satis addisci possit, quomodo hic prolapsus sese habuerit.

§. V. Ab illius Diverticuli cæco extremo prodibat species Funiculi valde tenacis, substantiam habentis fere talem, qualis in ligamento rotundo hepatis, aliave simili parte, occurrit, qui lineam circiter crassus dextrorsum adscendebat, procedens juxta plicam illam, quam insertio Ilei in Cæcum format, donec firmiter adnecteretur parti laterali sinistræ Cæci, aliquantum versus posteriora, ut æque ab hoc, ac ab Ilei appendice, oriri videretur. Quum vero hæcce chorda brevis esset, & tensa, sacculum istum Ilei maxime sursum trahebat non tantum, sed & omnem hujus Intestini partem, quæ ab illa appendice usque ad Crassorum principium occurrebat, magisque deorsum in latere dextro abdominis locata, & in gyros formata, erat, tam arcte comprimebat, ut primo adspectu instar laquei constringentis apparens, summam excitaret admirationem, faceretque mirabilis illius Incarcerationis internæ causam, certe rarissimam, ideoque cum aliis partibus nunc etiam mihi asservatam.

§. VI.

(β) In Act. Phys. Med. Volum. I, Observ. LXXXII.
(γ) In fig. XII Tabulæ XII add. ad edit. belgicam Instit. Chirurg. L. HEISTERI; conf. ibid. pag. 925.

§. VI. Ex præmiſſis perſpectu difficile non eſt, quomodo iſta chorda juxta ipſum conjunctionis Ilei & Cæci locum adſcendens, & tenſa ſatis, potuerit continuo comprimere aperturam, quam tranſire debent fæces, indeque, nato frequentiore obſtaculo, liberæ earum, ut & flatuum, evacuationi, hanc feminam ſæpius obnoxiam reddere doloribus colicis, aliisque hujus loci affectibus: quomodo materies fæculenta in Diverticulum Ilei præternaturale delapſa, corrupta, putrida, acris facta, ſuo ſtimulo ſæpe eosdem, vel & ipſam forte paſſionem iliacam, quæ noſtram ægram trucidaverat, produxerit: quomodo præ ceteris potius lethalem hunc morbum cauſaverit Fragmentum iſtud Oſſeum (§. III), deglutitum, libere quidem ad hunc usque locum depulſum, aſt coarctatum Ilei exitum vincere haud facile valens, inteſtini fibras irritans, vellicans, conſtrictiones & dolores excitans, affluxum humorum, attritum & calorem majorem producens, inflammationem effecerit, quae, flatuum & fæcum accumulatione, tubique inteſtinalis diſtenſione valida, continuo increſcens, dictis antea ſymptomatibus ſtipata, Arti invincibilis, in gangrænam tandem tendens, miſeræ ægræ ſubito fuit lethalis. Pluribus, ex hujus morbi hiſtoria facile petendis, iisque utilibus, corollariis recenſendis, quum perito ſatis luculenta ſint, ſuperſedebo.

§. VII. Difficilius autem eſt illius fabricæ præternatura-

lis originem rimari: obſcurum enim, num vitium fuerit congenitum, num poſt nativitatem acquiſitum. Prolapſum iſtum Ilei (§. IV) jam a nativitate adfuiſſe concludere forte quis poſſet, qui ſæpius talem in aliis obſervatum fuiſſe animadvertat, imprimis qui adduxerit memoratam ex Actis Phyſico-medicis obſervationem ex Fetu, ſeu infante juniore, deſumtam. Funis membranoſus (§. V) num quoque adfuerit in prima hujus feminæ ætate, eo incertius eſt, quod in nulla citatarum obſervationum talis adeſſe fuerit memoratus. An forte illo tempore, quo aliqua pars Inteſtinorum Tenuium cum peritonæo coaluit (§. II), tanta in cavo abdominis locum habuit ſiccitas, & partium ſe invicem tangentium cohæſio, ut pendentis illius Diverticuli extremum connatum ſit cum aliquo illorum proceſſuum adipoſorum, quos ex Inteſtino Cæco, æque ac Colo, dependere Anatome docet; ita ut facta ſemel illa coalitione, propter continuam tenſionem & motum illarum partium, proceſſus illius membrana inveſtiens abierit in ſpeciem ligamenti, chordulæ tenacis formam adoptans, qualem poſt partum exhibere ſolent Vena & Arteriæ umbilicales obliteratæ? A nativitate tamen, & forſan prius, hanc quoque particulam adfuiſſe, nullus iverim inficias, quum dicta opinio ultra hypotheſeos valorem, nullam mihi ipſi videatur argumenti vim poſſidere.

C A-

CAPUT VI.

Vesicæ urinariæ immanis distensio, & ruptura lethalis, in Gravida, absque vera urinæ suppressione, ante mortem ignorata. De Utero gravido nonnulla.

§. I.

In Sermone publico, quem ex officio ad terminum Magistratus mei Academici recitavi anno præterito, Observationem memoravi, quæ, nisi fallor, egregie confirmavit, summam esse necessitatem scrutandi cadavera demortuorum, præcipue illorum, quorum prægressos singulares morbos Dissector ipse tractavit; neque minus evicit, maximum inde in humanum genus, & doctrinam medicam, redundare emolumentum, si errores, qui in diagnosi, aut curandi methodo, forte commissi sint, candide potius aperiat, quam silentio premat, aut inexploratos cum cadaveribus terra recondi sinat (α). Liceat, quæso, mihi per humani generis commodum; per commune, quod talia opuscula manet, fatum, minitans, ne in oblivionem delabatur utilis observatio; perque nimis forte compendiosum, quo in Sermone isto tradita est, stilum, historiam illam

 hoc

(α) Vid. Sermo Acad. de *Erroribus Medicor. &c.* a. d. III Septembr. CIƆIƆCCLXII dictus, pag. 21 & seqq.

hoc loco repetere, eaque addere, quæ morbi prægreſſi decurſum aliquanto plenius declarant, & in cadavere ulterius conſpecta fuerunt.

§. II. Femina viginti circiter annos nata, debita corporis ſtatura prædita, vitam antea ſanam tranſigere ſolita, partum nunquam enixa, graviditatem nunc adepta, abſoluto ſecundo hujus menſe, primum afflicta fuit ingentibus circa lumbos, pelvim, & coxas, doloribus, torminibus, aliisque ſymptomatibus, quæ abortum inſtantem indicare videbantur, cujus periculum tanto majus videbatur, cum obſtetrix inveniret orificium uteri molle, & inſigni apertura patulum: nullum tamen interea ſanguinis fluxum patiebatur ægra: alvus adſtricta erat: aderant quoque urinæ emittendæ difficultates: quum vero quotidie aliqua ſaltem ejus copia evacuaretur, nulla ſuborta fuit ſuſpicio, retentionem & accumulationem urinæ malorum illorum cauſam eſſe; neque mirum eſſe poteſt, Medicum, qui tum ægram illam curabat, hac indicatione ſua remedia non propinaſſe. Aſſumſit varia medicamenta adverſus metuendum abortum & pertinaces iſtos cruciatus, quæ nihil boni produxerunt. Increſcebat indies abdominis intumeſcentia, cumque ea augebantur dolores, anxietatibus, pervigiliis moleſtis, febre, ſiti immani, aliisque ſymptomatibus, ſtipati, qui ægram ad meum quoque auxilium quærendum determinabant.

§. III.

§. III. Eo tempore, quum, sedulo quævis symptomata indagando, causam morbi detegere laborarem, attentionem quoque primariam direxi ad tumidum istum abdominis statum. Deprehendi nempe Abdomen maxime quidem totum expansum, sed peculiarem præterea in eo Tumorem, per integumenta valde prominentem, a pudenda regione ultra umbilicum extensum, figuræ ovalis, seu pyriformem, suoque fundo superiora spectantem, ad attactum immaniter dolentem, & continuos fere dolores, regionem præcipue iliacam sinistram occupantes, producentem. Accurate examinatus hicce tumor totum abdominis cavum non implere apparebat: inter superiorem namque illius partem & scrobiculum cordis regio epigastrica erat mollis, flaccida, nihil tumidi, vel tensi, habens: laterales illius partes itidem relinquebant abdominis latera mollia, absque multa distensione & resistentia ad tactum cedentia: ut facile omnis ille tumor digitis circumiri & distingui, atque pressione manuum ab uno latere abdominis ad alterum moveri, posset. Pergebat interim ægra, non minus quam antea, quotidie, licet sæpius parca tantum copia, urinam emittere. Quibus signis quum præterea accederet status uterini orificii exploratione indagatus; quod scilicet, uterum suum sequens, tam alte positum erat, & ad pelvis summitatem posteriorem retractum, ut tangi digitis non posset; causam morbi intra uteri ca-

vum ſuam ſedem habere putabam, reliquisque ſymptomatibus inductus, humoris ſeroſi collectionem, ſeu Hydropem uteri, accuſandum eſſe, concludebam.

§. IV. Qua ſtabilita diagnoſi, ad indolem illius morbi curandi methodum direxi, eaque, quæ indicationes poſcere videbantur, medicamina propinavi, diuretica, purgantia, reſolventia, ſtimulantia, alia: quibus vero omnibus impar erat cum morbo congreſſus: ſolamen tantummodo aliquod ex paregoricis lenioribus habuit miſera, cum cruciatuum atrocia, & pervigilia, illa reliquis interponere nonnunquam cogerent. Aucto ulterius dein iſto tumore & ſupra umbilicum adſcendente, compreſſis magis magisque viſceribus, eorumque functionibus læſis & turbatis, arctato pectoris cavo, læſaque reſpiratione, perdurantibus priſtinis doloribus & reliquis ſymptomatibus, iisque ſuperaccedentibus aphthis, ſummum periculum ominantibus, ad incitas redacta videbatur ægra: cum tempore matutino poſtridie ad illam accedebam ex ea intellexi, nocte prægreſſa ſibi contigiſſe, ut ſubito, & uno quaſi momento, omnibus ſuis cruciatibus, malisque fuerit liberata: inveni revera omnia ſymptomata mitigata; dolores leviores; febrim minus validam; ſitim minorem; reſpirationem faciliorem; pulſum molliorem & magis æquabilem; abdomen collapſum magis, molle ſatis, ubique æquabiliter extenſum, ſine perceptibili tumore peculiari, fere dolore carens, talis-

lisque inſtar apparens, quod intus fluctuantem quemdam continet humorem: ex quibus itaque ſignis, ſpeciem adeo pulcram præ ſe ferentibus, magnam quidem ſanitatis recuperandæ ſpem concipiebat ægra, ego autem latentem in herba anguem ſuſpicari, uteri diſtenti rupturam, & humoris illum expandentis effuſionem in abdominis cavum, metuere, inducias illas fallaces habere, prudenterque ipſam miſellam mei metus certiorem reddere. Infauſti iſtius ſucceſſus prognoſin confirmabat mors ſubitanea, quibusvis aliis auxiliis viam præoccupans, poſtridie, vigeſimo nempe quarto morbi die, contingens.

§. V. Occaſionem cadaveris illius incidendi, quam maxime deſideraveram, nactus, ex eo didici, errorem a me commiſſum fuiſſe inſignem, quum cauſa morbi prægreſſi longe diverſa eſſet ab illa, qua nixa erat curandi methodus. Cavum abdominis apertum apparebat plenum liquore rubello, fœtore urinoſo nares meas feriente, cui macerata innatabant viſcera, nullum vitium, quod in oculos incurreret, habentia. Inteſtina tegebat ſaccus membranoſus, flaccidus, collapſus, humore vacuus, qui primo adſpectu, ex præconcepta opinione, pro utero disrupto habitus, apparuit eſſe *Veſica Urinaria*, immanem in magnitudinem expanſa, ultra umbilicum adſcendens, expoſitæ tragœdiæ veram cauſam exhibens. Quum tam alte adſcendiſſet Veſica illa, peritonæum cum ea elevatum & expanſum, &, qua

qua parte ſolet veſicam ad oſſa pubis adnectere, adeo ſurſum protractum erat, ut per duorum pollicum ſpatium avulſum eſſet a poſteriore ſuperficie muſculorum abdominalium, qui ideo, ope ſolius telæ celluloſæ, parti anteriori nudæ Veſicæ adnexi cernebantur: a poſteriore nexum ſuum cum utero ſolito more exhibebat. Ultra vero illum, ſupra uteri fundum Veſica maxime adſcendebat, hocque loco valde extenuata *Rupturam* monſtrabat, cujus fiſſura pollicem circiter longa, quæque humorem urinoſum in cavum abdominis effuderat. Veſica hæc intus erat lævis, glabra, colore naturali prædita, extus hinc inde levioribus tantum inflammationis notis maculata, & circa Rupturæ margines gangrænæ nonnulla veſtigia prodens. Membranæ ejus in tanta expanſione ſui cavi, non tantum in reliquis partibus, præter poſteriorem illam, non extenuatæ erant, ſed e contrario craſſitie ita increverant, ut hæc in multis locis pollicis lineam excederet. Uretheres multum capaciores, quam ſani, præcipue ſiniſter, qui digitum minimum facile capiebat. Totam ceterum cavitatem pelvis adimplebat Uterus gravidus, tertium fere menſem adeptus, adeo exacte, ut illum inter & partes, margines pelvis inveſtientes, nullum intercederet ſpatium, præterque compreſſa vaſa & nervos, indeque natam multorum ſymptomatum ſcaturiginem, Inteſtinum Rectum maxime compreſſum eſſet, ſicque clare indicaret, cur ante

mor-

mortem adſtrictio alvi pertinax non, niſi ſumma cum difficultate, reſerari potuerit. Uterus itidem comprimebat Meatum urinarium ad oſſa Pubis, ſicque retinendo urinam Veſicæ iſtam enormem expanſionem excitaverat: id quod facilius effecerat, quum pelvis oſſea eſſet compreſſa: menſura enim Conjugatæ aperturæ ſuperioris, ſeu diſtantia ſynchondroſin pubis inter atque oſſis Sacri ſummam partem, exhibebat planum longe minus inclinatum, quum pollicem fere minor eſſet, quam in aliis rite formatis feminarum pelvibus obſervari ſolet: dum enim in his ſecundum plurimas Aliorum, propriasque, obſervationes æquare illa circiter ſoleat quatuor pollices cum dimidio, in hac pelvi tantum habebat tres pollices cum octo lineis menſuræ pariſinæ: reliquæ dimenſiones hujus cum ſolitis ſatis conveniebant.

§. VI. Dicta ſi attente contemplemur, patet, cauſam prædiſponentem lethalis hujus affectus jam adfuiſſe, arctam nempe illam aperturæ pelvis dimenſionem: huic vero accedentem Uteri gravidi expanſionem fuiſſe cauſam occaſionalem, quæ agmen iſtud peſſimorum ſymptomatum produxerit. Hac enim factum eſt, ut partibus, quas continet pelvis, ſpatium ſatis magnum, liberumque, non ſupereſſet; validæ illarum compreſſiones, diſtenſiones, dolores, enaſcerentur; Meatus urinarius coarctaretur; libera excretio urinæ interciperetur; Veſica maxime expanderetur a lotio accu-

mulato; mala continuo increſcerent ob extenſionem peritonæi, ſeparationem ſeu divulſionem ejus a muſculis abdominalibus, doloroſam nervorum affectionem, conſenſum eorum cum reliquis, partium vicinarum compreſſionem, ſecretionem & excretionem urinæ in Renibus & Uretheribus impeditam, reſorptionem & acrimoniam urinæ in veſica ſua diutius ſtagnantis; utque tandem omnibus ſuperaccedens Veſicæ Ruptura, urinam acrem in abdominis cavum effundens, mortem ſubitaneam, poſt fallaces inducias, produceret. Illuſtrant ea, quæ ſunt expoſita, quomodo teneſmi, ab irritamento urinæ nati, validasque veſicæ conſtrictiones excitantes, cauſam iſtam comprimentem ſæpius vincere, urinæ aliquam copiam exprimere, & quotidianum illud ſtillicidium ejus, veræ morbi cauſæ larvam obducens, producere, potuerint; eademque explicant, quomodo hanc ob cauſam lentius ad tantam expanſionem pervenerit Veſica, ut crepuerit, ægræque moriendum fuerit. Patet porro ex hac hiſtoria, me non tantum in diagnoſi & in curatione hujus morbi erraſſe, verum ſymptomate illo memorato, ſeductum, talem commiſiſſe errorem, qui ægræ (quod vehementer doleo, ſemperque cum animi mei dolore recordabor) peſſime nocuerit, quum, recte perſpecta vera morbi cauſa, ſanabilem eſſe morbum, declaraſſet; fierique facile, præter alia remedia, potuiſſet Catheteris in veſicam introductio; eaque

ſæ-

ſæpius repeti, donec progreſſa graviditate, ultra marginem pubis adſcendens maxima uteri moles, non amplius tantopere comprimeret meatum urinæ, hujusque facilior expulſio triſtiſſimam ægræ noſtræ ſortem præveniret. Patet denique ex dictis, idque ſequenti Capite exponenda obſervatio confirmabit notabili exemplo, in ſimilibus morbis ad urinæ nimiam accumulationem, indeque metuenda mala, ſedulo animum adverti debere, quamvis etiam aliqua urinæ evacuatio magnam de tali malo ſuſpicionem haud moveat; neque facile modo indicatum auxilium, a prudenti manu peragendum, omitti debere, ne in eundem incurramus ſcopulum, & in ſimilem delabamur errorem: quem ut alii evitarent; ut aliis ægris, aliter morituris, ſanandis viam ſternerem; ut Pathologiæ medicæ lucem aliquam affunderem; ut boni viri officium in veritate exponenda explerem, &, quid Virtus Medica requirat, exemplo illuſtrarem, candide primum Auditoribus meis explicavi, publiceque dein enunciare auſus fui, & quem ut hic repeterem, ſupra memoratæ mihi perſuaſerunt cauſæ.

§. VII. *Uterum Gravidum* hujus feminæ, tertium circiter menſem attingentem, ex cadavere reſecui, prouti in præcipiti tali occaſione id fieri ſolet, ut neque ad ea, quæ illius, variarumque ejus partium, ſitum ſpectant, attente ſatis attendere, neque ulterioris indagationis ergo vaſa illius materia cerea implere, potuerim: quumque præterea illum

per aliquod tempus in ſpirituoſo liquore conſervaverim, priusquam ejus, uti mihi propoſitum erat, Prælectionibus meis Obſtetriciis illuſtrandis inſervituri, coram Auditoribus Anatomen inſtitui; ratio eluceſcit, cur præter generalia, ſatis cognita, pauca ſint, quæ notatu digniora, aut dubia nonnulla illuſtrantia, hic afferri mereantur. Uterus hicce figuræ ſolitæ ovalis erat, ſuoque liquore amnio æquabiliter diſtentus, ſanum ſe in omnibus exhibens. *Orificium* ejus applanatum, terſum, molle, apertura tanta patens, ut minimi digiti apex ei facile intromitti valeret. *Subſtantia* inciſa, ſub membrana externa denſa, apparebat manifeſto fibroſa, ſimulque vaſculoſa & celluloſa, ut, quo exterior eſſet, eo magis conſpicuis fibris conſtare videretur, eo minus vero fibroſa, eoque mollior & celluloſa, quo eſſet interior, ut ſenſim quaſi abiret in lanuginem inter Uterum & Ovum intercedentem, vix conſpicua membrana interna. Vaſa illam ſubſtantiam perreptabant multa, magna, luminibus ſuis patulis ſpectabilia, ita inter ſe communicantia, ut uno inflato turgerent omnia, totamque uteri ſuperficiem externam redderent inæquabilem. Ad *Craſſitiem* hujus uteri, quam in gravidis multi majorem, multi minorem, quam in ſtatu non gravido, habent, attendens, plerorumque Recentiorum opinionem confirmari videbam, variam ſcilicet illam eſſe in variis uteri regionibus, ſicque ſectionem unius alteriusve potuiſſe anſam ſuppeditare ingentis de illa diſſen-

ſus:

ſus: craſſiſſimus erat Fundus, ſeu pars ſuperior, multumque excedens uteri non gravidi craſſitiem, quum quinque circiter lineas pollicis æquaret: Corpus uteri minus quidem craſſum, eoque tenuius, quo inferius eſſet, in genere tamen non gravidi craſſitiem ſuperans notabiliter: Cervicis uteri craſſities ab illa continuata, ſenſim usque ad Orificium tenuior facta, ibique lineam vix craſſa, majorem itaque, quam in non gravido, exhibebat tenuitatem. *Placenta* adnexa erat parti maxime anteriori, parum verſus ſuperiorem, novo exemplo comprobans, erroneam eſſe illorum ſententiam, qui perpetuam & conſtantem ejus ſedem eſſe volunt Fundum: mollia nimis facta macerataque erant omnia, quam ut de modo cohæſionis uteri & placentæ aliquid detegere potuerim. *Fetus* ipſe juſta magnitudine terminum graviditatis declarans, toroſus, inflexis membris ſuis omnibus, ita in aqua amnios natabat, ut pedes ſpectarent ſuperiorem uteri regionem, caput vero ejus ad orificium uteri propenderet: de qua re quum in ſequenti Capite nonnulla memoranda ſint, verbum hic non amplius addam.

CAPUT VII.

Retentio urinæ & immanis Vesicæ distensio, in Gravida, a Renis dextri consumtione & hydrope orta, lethalis. Ejusdem Uteri gravidi dissectio: nonnulla de Situ naturali Fetus in utero.

§. I.

Femina triginta quinque circiter annorum, quinque liberorum, quos facili partu in lucem ediderat, mater, ultimæ graviditatis tempore laboraverat mictu cruento, quem nonnulla tunc remedia a me propinata satis feliciter compescuerant, ut deinceps de illo questa non amplius fuerit per biennii fere spatium: sexto autem nuper iterum facta gravida, parum ultra tertium mensem incidit in affectus dolorosos gravissimos, regionem præcipue lumbalem dextram occupantes; aderant his malis Urinæ emittendæ maximæ difficultates, nunc ejus suppressiones, nunc evacuationes subitaneæ, cum molestis valde ardoribus; accedebant ad hos etiam cruciatus, verorum Dolorum tantam præ se similitudinem ferentes, ut sæpius, durante morbo, imprimis cum paucis ante mortem diebus parva hæmorrhagia observaretur, instantissimum abortum mentiren-

tur.

tur. Omnibus illis ſymptomatibus ſollers ipſius Medicus, quem nunc conſuluerat ab initio, varia oppoſuit Artis auxilia, majus minusve ſolamen afferentia; ſæpius perita Obſtetrix ope Catheteris Veſicam ab urina diſtendente liberavit; ipſa quoque ægra didicerat ſibi uterum digitis elevando, & a meatu urinario repellendo, evacuationem urinæ faciliorem, ſuosque cruciatus tolerabiliores, reddere. Tam parum vero omnia hæc conamina ſuccedebant, tamque inſigniter videbatur morbi cauſa increſcere, ut quotidie in pejus ruerent omnia dicta mala: unde & ego in conſilium vocatus, miſeram illam vidi adhuc viventem, aſt tam graviter decumbentem, & tantopere memoratis cruciatibus debilitatam, ut nulla amplius ſanationis ſpes ſupereſſe videretur: quam factam prognoſin ſequenti nocte, a. d. xxx Junii hujus anni, Mors confirmavit, cum medium graviditatis, ſeu quatuor menſium cum dimidio terminum, attigiſſet.

§. II. Inſolita mali cauſa non minus, quam Graviditatis ſtatus, nos impulit ad ſectionem cadaveris ejus obtinendam: qua a marito impetrata, poſtridie per noctem, non obſtante calore æſtivo ſatis magno, ſequentia vidimus notanda. Externe præter gravidi abdominis protuberantiam nihil in oculos incurrebat. Exploratio vaginæ inſtituta docuit, ad parietem ejus poſteriorem occurrere Tumorem ingentem, ſatis quidem mollem, attamen elaſticum & reſi-

ſten-

ſtentem, qui, facta etiam per Inteſtinum Rectum exploratione, apparuit totam fere pelvis cavitatem, præcipue partem ejus poſteriorem, replere, & vix pollicis longitudine ab ano diſtare. Orificium uteri admodum alte poſitum erat, totum in parte anteriore pelvis pone oſſa pubis reconditum, tactu difficile, molle, tumidulum, tanta rimæ ſuæ dilatatione patulum, ut explorantis digiti apicem caperet, perque eam Ovi membranæ tangi poſſent.

§. III. Aperto Abdominis cavo mox in conſpectum prodiit *Veſica urinaria* maxime lotio diſtenta, uteri gravidi figuram mentiens, quum in formam ovalem expanſa adſcenderet circiter ad umbilici altitudinem, ſeu ſex pollices ſupra pubis ſynchondroſin elevata eſſet, quæ infra hanc in cavitate pelvis ſolet in ſtatu naturali adulto recondi: uti in præcedenti obſervatione monitum eſt, ita etiam hæc Veſica, a parte ſua anteriore peritonæo deſtituta, ope ſubſtantiæ cellulofæ accreverat nudis muſculis abdominalibus, a quibus peritonæum, adſcenſu Veſicæ ſurſum tractum, erat ſeparatum. Integra quamdiu erat, ita integebat totum uterum, ut ſupra hujus fundum omnino duos quidem pollices adſcenderet. Aperta dein, & evacuata immenſa urinæ copia, intus hinc inde parum inflammata, craſſitiem ſuarum membranarum, utut diſtentarum, exhibebat tantam, quæ facile lineam pollicis æquaret.

§. IV. In dextro latere Abdominis alter apparebat Tumor,

mor, oblongus, mollis, fluctuante humore quodam plenus, ab inferiore hepatis, usque ad dimidiam fere oſſis ilei partem, extenſus: qui accuratius examinatus formari cernebatur a *Renis dextri* membranis externis, cujus tota interior ſubſtantia ſuppuratione erat conſumta, relictis ſolis ejus involucris, ſaccum illum longum efficientibus, qui maxima copia aquæ rubellæ repletus erat, ut totam illam, quam dixi, dimenſionem occuparet. Urether quoque ipſius ſimili aqua turgebat, itaque erat dilatatus, ut ſuperior ejus pars minorem digitum facile comprehendere poſſet. Intus porro, ab illo renis depravati involucro, undique enata erant parva ſepta membranacea, pendula, in varias cellulas renem excavatum dividentia, acſi cujuslibet lobuli, & papillæ, renalis propria membranula inſpiſſata, & intacta, ſuperſtes eſſet. In ſuperiore parte involucri externi celluloſa ſubſtantia inter laminas ejus aëre ita erat referta, ut emphyſematis adeſſet ſpecies: prætereaque totum illud hic iterum, uti ſolet fieri in tumoribus cyſticis, maxime erat incraſſatum. Cui incraſſationi Natura noſtra provida aliquando jungit cruſtam, ex tenaciore, fereque ſemicartilaginea, ſubſtantia factam, quæ intus illi ſacco, imo & vaſis renalibus, obducta, impediat, quominus acris & purulenta materia, membranas erodendo, in cavum abdominis delabatur, & ſubito producat mortem: quale notabile admodum exemplum Auditoribus meis A.

CIƆIƆCCLX exhibui in cadavere viri, qui quasi lapicidinam in suo corpore fovens, præter magnum vesicæ calculum, calculos mesenterii, calculosaque in pectore concrementa, tres satis magnos in Rene dextro continebat calculos, qui suppurationem ejus, & substantiæ consumtionem, produxerant: tam lenta vero ille morte erat confectus, ut prius quidquid humorum, adipis, medullæ haberet, perdiderit, & in sceleton quasi vivum redactus fuerit, quam cruciatibus succumberet. Docet quoque talis crusta, cur nonnunquam Renum suppurationes observatæ sint, absque insigni ægrorum dolore; neque certe ad phænomeni hujus explicationem opus esse, ut cum J. PLANCO, contra quotidianam in nephriticorum morbis experientiam, statuamus, multas nostri corporis partes sensu carere (α).

§. V. Viscera abdominalia a tumentibus illis memoratis partibus e suo situ naturali erant depulsa, & in insolitum mutata, quem obiter tantum, per breve, nocturnumque, aperturæ cadaveris destinatum, tempus, observare nobis licuit. Omentum erat totum versus superiorem abdominis regionem replicatum: Hepar, maxime ad thoracis cavum adscendens, vix margine suo inferiore infra costas conspicuum: Ventriculus valde sursum adactus, hepate & colo intestino reconditus: Lien non conspicuus, nisi vicina

(α) Vid. *Nuova Racolta d' opusculi scientif. e filolog. Tom. V.* in Venez. 1759.

cina diſtraherentur viſcera: Inteſtina Tenuia ſurſum & retrorſum preſſa; Craſſa ita a ſolito ſitu abludentia, ut in genere iſtum fere haberent, quem deſcripſi in Capite III §. II, inſigni altitudine verſus thoracem elevata.

§. VI. Singularis quoque erat maxime *Uteri gravidi ſitus* in hoc cadavere. Fundus nempe illius, qui in periodo graviditatis, quam hic attigerat, ad umbilicum fere adſcendere ſolet, maxime erat depreſſus, ut pone diſtentam veſicam vix tertiam contingeret vertebram lumbalem; ideoque ſolito multo minus protuberabat antrorſum, figuramque acquiſiverat multo planiorem: aſt Corpus ejus, præcipue in parte ſua poſteriore, valde erat expanſum, deorſumque intumeſcens ſatis exacte adimplebat omnem pelvis cavitatem, & apparebat formare Tumorem illum (§. II), quem exploratio Vaginæ & Recti antea indicaverat: ſicque ejus Orificium facile antrorſum & ſurſum adſcenderat. Potuerat autem illa expanſio partis uteri poſterioris, ſituſque mutatio, a diſtenſione veſicæ eo facilius excitari, quoniam tota pelvis cavitas erat ampliſſima: illa enim, quæ inter oſſa pubis & ſacrum eſt, diſtantia, erat quatuor pollicum cum novem lineis, licet etiam ſuperior oſſis ſacri pars promineret inſigniter intra pelvis cavum, ideoque, reliquarum ejus dimenſionum ratione conſiderata, hæc reliquis minor haberi poſſet.

§. VII. Ex qua partium memoratarum obſervatione,

videtur mihi concludi poſſe, Morbum prægreſſum, ſequenti modo & ordine, ſe habuiſſe. Mictum cruentum, quo primum laboraverat ægra, ſequuta erat ſuppuratio & corruptio ſubſtantiæ renis dextri, relictis ejus involucris externis, iisque inſpiſſatis, & ſaccum efformantibus, in quem dein copioſa affluxerat aqua urinoſa, per uretherem continua via ad veſicam fluens, malumque tolerabile reddens: increſcente autem dein, & cavitatem pelvis adimplente, utero gravido, compreſſa urethra facilem urinæ evacuationem impediverat, ejusque accumulatio expanſionem veſicæ, ſenſim auctam, nec non uretheris dilatationem produxerat: uterus dein, libere extendi haud valens, eaque de cauſa deorſum preſſus, ligamenta ſua, aliasque, eum in ſitu retinentes, partes, diſtenderat, relaxaverat, ideoque ultra pelvis marginem vix adſcenderat: mirum ergo nequaquam, quod pars imprimis poſterior expanſionem maximam verſus inferiora ſubierat, inque hoc cadavere Segmentum uteri inferius, exploratione tangendum, conſtituerat: quod præterea orificium ejus adeo in altum ad pubem adſcenderat, ideoque momento illarum virium, quas dolores, abortum inſtantem minantes, produxerant, non potuerat dilatari: quodque potius hæ, favente pelvis amplitudine, magis magisque ad anum appulerant uteri partem poſteriorem, urethræ compreſſionem, urinæ emittendæ difficultatem, veſicæ expanſionem, aliorum malo-

lorum incrementum, auxerant, tandemque ipſam produxerant mortem.

§. VIII. *Uterum* dein *Gravidum*, totum e cadavere ſectum, aliquanto liberius nobis licuit examinare. Figura illius erat plane ſingularis: quæ enim ſolet eſſe ovalis, ut a ſuo orificio, inferius poſito, ad fundum ſenſim capacior evadat, ſicque axin longitudinalem habeat multo excedentem illum, qui transverſalis eſt, in hoc fere rotunda erat, lateribus parum compreſſis. Orificium occupabat circiter mediam anteriorem partem, ut fere tanta portio regionis uteri poſterioris infra illud deſcenderet, quanta pars regionis anterioris & fundi ſupra illud conſpiceretur. Unde forma uteri naturalis tantopere mutata erat, ut maxima dimenſio daretur inter partem ejus anteriorem & poſteriorem, ſeptemque pollices æquaret, cum diſtantia fundi ab orificio ſex tantum pollicum eſſet: hinc quoque uteri totius ambitus major fuit, ubi menſura inſtituebatur juxta faciem anteriorem & poſteriorem, quam juxta fundum orificiumque; prior quippe octodecim, poſterior ſeptemdecim, pollicum obſervabatur.

§. IX. *Orificium Uteri* molle, tumidum, apertum; labio poſteriore magis craſſo, quam anteriore; hoc vaginæ adnexæ propinquo, illo remotiore; utroque leviter inflammato, atque excoriato. Apertura ejus, ſeu Rima transverſa, pollicem externe quidem longa, interne ſenſim con-

tractior, muco obsessa, digiti apicem tam facile admittebat, ut tangi possent velamenta ovi, aqua amnios distenta. *Tubæ Falloppianæ* solito quidem loco ab utero secedebant, ita tamen, ut supra illarum originem multo minus emineret hujus fundus, quam in gravidis observari solet. *Ovaria*, cicatricibus nonnullis notata, albicantia, emaciata, nihil exhibebant, quod Corpus Luteum haberi posset: nisi ita appellare vellemus vesiculam, ampullosam, liquido aliquantum luteo plenam, tubæ dextræ adhærentem.

§. X. *Substantiæ* uteri Crassities, facta sectione, talis apparebat, ut, utrum major, minorve, durante graviditate, facta esset, determinatu haberemus difficile: erat autem in superiore regione crassior, versusque orificium tenuior, hic tamen tenacior & firmior: inque ea regione, cui placenta erat adnexa, non multo quidem tenuior, sed magis spongiosa cernebatur. Conf. Cap VI §. VII.

§. XI. *Placentæ sedes* erat ad partem fundi dextram: illam inter atque superficiem uteri internam nullum manifestum occurrebat vasculum: ibi autem luculenter apparebant Sinus, utero & placentæ ita communes, ut partim ab hac, partim ab illo, efformarentur, sanguinem continentes, in quos amplis ostiis patebant Sinus uteri venosi, quos ALBINUS (β), DON. MONRO (γ), & ROE-

(β) Tab. Uteri Grav. VII.

(γ) Vid. *Essays and Observ. physical and liter. by a Society in Edinburgh, Vol. I, Art. XVII, Tab. VII, fig.* 1, 2, 3, 4.

Roederer (*d*) pulcre delineaverunt, quibus inflatis, turgeſcebat totum ſyſtema Venarum uteri. Connexionem placentæ & uteri efficere videbatur ſubſtantia filamentoſa, tenuis, illi ſimilis, quæ totum Ovum utero adnectit, aliquanto tamen majorem habens firmitatem.

§. XII. Ovum ipſum, ulterius examinatum, exhibebat extimam ſuam membranam *Chorion*, totum ambitum ejus usque ad placentæ marginem circumdantem, albicantem, mollem, pulpoſam, vix reſiſtentem, extus filamentoſam & flocculentam, qua cum interna uteri ſuperficie tam leviter connexum erat, ut minima vis eam diſſolveret, remanente tunc illius filamentoſæ ſubſtantiæ portione ad uterum adhærente, ita ut, ovo ab utero ſeparato, utriusque ſuperficies flocculenta eſſet, imprimis cum aquæ immergeretur. In ipſa hac membrana parvula quædam vaſcula apparere videbantur: aſt nullum obſervare poteram, quod a Chorio ad Amnion tenderet. *Amnios* membrana pellucida, firma, proque ſuo more ſola ſufficiens ad coërcenda intus latentia, homogenea, nullum vas exhibens, præter ſuum Liquorem, continebat Bullam aëream ſatis magnam, quæ forte pollicem quadratum aëris æquaret. *Liquor Amnios* omnem reliquam ovi cavitatem replens, quantitate circiter xxxvi unciarum, adeo rubellus erat, ut tantum obſcure Fetus in ſuo ſitu poſſet conſpici. Spiritus

(*d*) Icon. Uteri hum. obſervat. illuſtr. Tab. VI, fig. I.

ritus Nitri admixtus eum in partem albidam magis & aquosam, atque in coagulum caseosum, mutabat: spiritus Vini rectificatus vix eum mutabat, nisi quod dilueret colorem, levemque ei conciliaret mucositatem. Præceps occasio, atque subitanea putrefactio, accuratius illius examen a me institui, vetuerunt.

§. XIII. *Situm Fetus* in ovo cernebamus talem, qualem futurum esse, ex legibus gravitatis, prævideram: semiflexis nempe omnibus membrorum articulis, arcuata spina, inflexoque capite, ita in suo ergastulo fluctuabat, ut pedes superiora spectarent, Caput vero deorsum penderet, & inniteretur parte illa posteriore uteri, quæ intra pelvim profunde descenderat (§. VI), & in hoc utero segmentum inferius repræsentabat: si autem consideremus, molem majorem capitis, atque partis superioris corporis, tantam esse, ut naturaliter deorsum prolabatur, inque utero recte sito ad orificium plerumque decumbat, non aliter, mutata hic figura & axi uteri, fieri poterat, quam ut dictum situm in hoc inveniremus.

§. XIV. Ut vero rectius constet, præmissam meam ratiocinationem naturæ rei convenientem, neque tantummodo per accidens (uti aiunt) observatione memorata fuisse corroboratam, lubet mihi nonnulla, hac opportunitate, adscribere de *Naturali, solitoque, Fetus humani Situ in utero*, quem diversissimum diversi statuunt; deque celebrata ista

Cir-

Circumvolutione ejus, quam verſus finem geſtationis contingere plurimi perhibent, ut ſcilicet, modo naturali, id eſt prævio capite, in lucem edi poſſit. Vetuſtiſſima opinio, teſtante, eique aſſentiente, GALENO (ε), hæc eſt: „ Fetum humanum, omnibus membris inflexis, incurvata „ ſpina, capite ad genua adacto, ſicque in glomerem qua- „ ſi convolutum, in utero materno ſedentis exhibere fi- „ guram, ita ut, a graviditatis primordio, usque ad ſe- „ ptimum circiter, aut octavum, menſem, Caput illius „ verſus uteri fundum, ſeu partem ſuperiorem, ſit poſitum, „ facie ad ventrem, ſpina ad dorſum, matris converſa, „ pedibus vero orificium uteri ſpectantibus: ſed dein ver- „ ſus terminum geſtationis, ocius ſerius, ita immutari il- „ lum ſitum, ut Caput ad orificium uteri prolabatur, fa- „ cies fetus ſpinam matris, pedes fundum uteri, ſpectent: „ tumque fetum ſitum hunc conſtanter ſervare, intraque „ pelvis cavitatem deſcendere, donec naturali excludatur „ partu, qui præternaturalis ſit futurus, ſi circumvolu- „ tio iſta, ſtatuto tempore, non contigerit. Quum huic ſententiæ, præter venerandæ Antiquitatis & Galeni auctoritatem, acceſſiſſe videretur aſſenſus ARISTOTELIS, dicentis „ omnibus æque Animalibus Caput primum ſuperius „ eſſe in ovo, ſed cum creverint, & jam exitum appe-

(ε) Conf. J. RIOLANI Anthropogr. Libr. VI, Cap. X, in oper. omn. pag. 401.

„ tant, deorſum deduci (ζ)“, qui potuit, quæſo, pro ſæculi more, aliter fieri, quam ut omnes fere Medici illam opinionem adoptarent, atque tuerentur, vel ſaltem contrariam amplecti non auderent? Magnaque licet fuerit, non potuit tamen, HIPPOCRATIS ipſius veneratio, tantæ auctoritati aliquid derogare: quem ex obſcuro quodam Operum ejus loco (η) ſententiæ ſuæ patronum, quam ex manifeſtis verbis, in genuino Libro occurrentibus (quibus aſſerit „ non dari, probe ac certo cognoſcere, etiamſi pue- „ rum in utero videas, utrum Caput ſurſum habeat, an „ deorſum (ϑ)) illius adverſarium, habere maluerunt. Imo, quamvis REALD. COLUMBUS, cadaverum ſectione edoctus, contrarium jam ſcripſerit (ι); quamvis FEL. PLATERUS tradiderit „ Embryonem plerumque Capite deorſum, „ aliquando ad latus, rarius ſurſum, ſpectante, ut ſic „ minori impedimento in partu exiret, eſſe ſitum (κ); quamvis etiam AMBR. PARÆUS affirmaverit „ infantis in „ utero certam ſitus rationem notari non poſſe (λ); nihilominus tamen non tantum Veteres, verum etiam multi Recentiores, illam doctrinam amplexi fuerunt, inter quos citaſſe

(ζ) Hiſtor. animal. Libr. VII, Cap. VIII.
(η) De Partu Octim. § II, Edit. Linden. Tom. I, pag. 175.
(ϑ) De Natur. Pueri, § XXXV, ibid. pag. 157, in Ed. Foëſ. T. I, p. 245.
(ι) De Re anatom. Libr. VII, pag. 245.
(κ) Vid. SPACHII Gynæcior. Edit. in fol. Argent. 1597. in initio pag. ** 4 verſ.
(λ) Ibid. pag. 410, nec non Ejus *Oeuvres Livr. XXIV, Chap. XIV.*

citaſſe ſufficiet A. VESALIUM (μ), ARANTIUM (ν), HARVEIUM (ξ), CHARLETONEM (ο), DE MARCHETTIS (π), DIEMERBROEKIUM (ρ), BIDLOUM (σ). BERGERUM (τ), BOHNIUM (υ) J. MAUBRAY (φ), ipſumque BOERHAVIUM (χ): neque deſunt inter Artis obſtetriciæ Cultores, qui eam defendant, uti SCIPIO MERCURII (ψ), C. VIARDEL (ω), MAURICEAU (αα), DIONIS (ββ), VAN DEVENTER (γγ), VAN HOORN (δδ), HEISTER (εε), MANNINGHAM (ζζ), LEVRET (ηη), THEBESIUS (θθ) DE CHAUFEPIE (ιι), Aliique: quo etiam referri poſſunt nonnulli, qui aliquantum diverſam ſtatuunt, uti Chirurgus

(μ) Vid. De Corp. Hum. Fabr. Libr. V, Fig. XXX, Tabell. IV.
(ν) De Humano Fœtu, Cap. XII.
(ξ) De Generat. animal. Ed. Leid. in 4°. pag. 346.
(ο) Oeconom. animal. Exerc. VIII, § 19 & 20.
(π) Anatomia, Cap. VIII.
(ρ) Anatom. Libr. I, Cap. XXXIV.
(σ) Anatom. Hum. Corp. Explic. Tab. LVI.
(τ) De Nat. Human. Libr. II, Cap. III, pag. 492.
(υ) Circul. Anat. Phyſiolog. Prog. III, pag. m. 39.
(φ) *The Femal Phyſician, Sect. I, Chap. X, pag.* 31.
(χ) Inſtit. Med. § 685, & ad illam Prælect. Acad. Tom. V, part. II, p. 386 & 387.
(ψ) *La Commare oriccoglitrice, Libr. I, Cap. III, pag.* 15 *&* 21, in Venez. 1601.
(ω) *Obſerv. ſur la pratique des Accouchemens, Chap. III.*
(αα) *Traité des Mal. des Femmes groſſ. Livr. II, Chap. V.*
(ββ) *Traité general des Accouchem. Livr. II, Chap. XVIII.*
(γγ) *Manuale Operat. Fig. VI, en Kap. XXIII, pag.* 116, Ed. belg. 1746.
(δδ) *Siphra en Pua &c. pag.* 10 *en* 11, Ed. belg.
(εε) Compend. Anatom. pag. 111.
(ζζ) Compend. Artis Obſtetr. pag. 14 & 66.
(ηη) *L' Art des Accouchem. &c. Part. II, Chap. VI, Sect. III, pag.* 73, Ed. II, Pariſ. 1761.
(θθ) *Hebämmenkunſt, Erſt. Theil,* §. 81, *pag.* 47.
(ιι) *Neuer Hebammen-wegweiſer, Kap. III, pag.* 18 *&* 19.

gus Dublinenſis ille F. OULD (κκ), atque Medicus Eboracenſis J. BURTON (λλ), & Cl. ROEDERER (μμ), præmaturo nuper fato Arti utiliſſimæ, quam ſumma cum laude excolebat, ereptus. Quorum Virorum exiſtimationem ſi conſideremus, mirum non eſt, Veterem Auctoritatem apud multos prævaluiſſe, adeoque non tantum a vulgi corona, ipſisque Obſtetricibus, ſed & a plerisque Medicis, ad ſacra hæcce propius accedere haud ſolitis, expoſitam Fetus poſitionem & circumvolutionem, tamquam veritatem, omni exceptione majorem, etiam hiſce diebus haberi; tamque irradicatam illorum animis inhærere, ut riſum fere & cachinnos moveat, qui fictam iſtam hypotheſin, & ex ea petitas variorum phænomenorum explicationes, audeat impugnare.

§. XV. Cum tamen haud præoccupato animo ad caſtæ rationis trutinam revocarem olim propoſitam illam opinionem, fateor, mihi non levem, ex conſideratione magnitudinis Fetus, & gravitatis ſpecificæ ejus atque liquoris amnii, natam, dubitationem contra eam fuiſſe ſubortam; cum Auctores conſulerem ſuper hac re, non paucos me inveniſſe experientia non minus, quam candore, conſpicuos Viros, qui ab ea recederent; cum denique Naturam ip-

(κκ) *A Treat. of Midwifry, pag.* 25.
(λλ) *An Eſſay tow. a compl. new Syſtem of Midwifry, pag.* 100.
(μμ) Element. Art. Obſtetr. §. 84 & 85, Ed. II.

ipſam, æque in vivis, ac mortuis, inquirerem, hujus tantum a recepta, tantaque auctoritate munita, opinione diſſenſum expertum me fuiſſe; ut absque multa difficultate contrariam ſententiam fuerim amplexus. Statuo itaque, „ Naturalem maxime & conſuetum Fetus in utero „ Situm eſſe talem, ut, ſi uterus recte poſitus ſit, a pri„ mis geſtationis menſibus, uſque ad hujus terminum, Ca„ pite ſuo innitatur orificio, vel ſaltem ſegmento inferio„ re uteri, pedibus vero fundum ejus petat; adeoque va„ na ſit illa ſedentis quaſi perpetua poſitio, & ſeptime„ ſtris, ſeu octimeſtris, circumvolutio. Eum vero Situm „ nequaquam eſſe conſtantem, ſed durante Graviditate „ ſæpiſſime mutari, ut modo transverſus ſit, modo hanc, „ modo oppoſitam, corporis partem, ad orificium poſitam „ habeat, imo non raro fundum uteri ſuo Capite petat, „ Fetus. Adeoque mirum non eſſe, quod frequentiſſime „ in partu naturali caput ejus ſit prævium, intelligi autem „ facile, cur non raro pedes, aliæve deviantes partes, „ præcedant. " Utramque hujus ſententiæ partem quæ comprobare videntur Argumenta, ſequentibus §§. proponenda, tanti valoris exiſtimo, ut non dubitem, quin plerique, illa ponderantes, eandem amplexuri ſint.

§. XVI. Fetum, durante tota geſtatione, ſuo Capite naturaliter deorſum pendere, docent ſequentia. I°. Videtur ipſa Ratio illud ſuadere, ſi comparamus proportionem,

Capitis Embryonis, atque Fetus, cum reliquo corpore, ejusque gravitatem ſpecificam cum liquore amnios, ut & totius corporis volumen cum capacitate ovi. Natat Embryo quam liberrime in ovi ampliſſimi aqua, cujus quantitas, in ratione illius, ſemper eo major eſt, quo hic primordio ſuo eſt propinquior: quum vero Caput ſit maxima, ſimulque graviſſima, corpuſculi pars; imo quum Caput ſemper eo magis reliquas partes excedat, quo homuncio eſt junior; ſequitur, Caput neceſſario deſcendere in aqua amnios, ubi a funiculo umbilici dependet, maxime quidem in graviditatis initio: accedit his, quod, quum umbilicus non ſit in medio corpuſculi, pars ſupra eum multo major & gravior, quam infra eum, eſt: hinc quoque obſervamus Ova humana aperta, aquæ puræ immerſa, aut ſpirituoſo liquore conſervata, exhibere ſemper ſuos Pupulos capite deorſum pendentes, quales multos poſſideo, qualesque cerni poſſunt in multorum figuris, uti apud Ruischium (νν), Albinum (οο), Smellium (ππ), Aliosque: quod vero ab Heistero depictum eſt Ovum (ϱϱ), præternaturali plane poſitione eſt exhibitum, neque potuit Embryo

(νν) Vid. Theſaur. Anat. VI, Tab. II, fig. 4 & 5; Theſ. Anat. X, Tab. I, fig. 3, & alibi.

(οο) Academ. Annot. Libr. I, Tab. I, fig. XII, & Tab. V, fig. I; III, IV, & V.

(ππ) *A Sett of Anatomical Tables*, *Tabl. VI*, *fig. I. and II.*

(ϱϱ) Compend. Anat. Tab. VI, fig. 27.

bryo illum, quem repræſentat, ſitum habuiſſe. Quum autem partes corporum, in aquam demerſorum, graviores, ratione reliquarum, majore vi & celeritate verſus centrum gravitatis deſcendant, Caput non tantum pendebit deorſum, ſed naturaliter in utero recte ſito innitetur ejus orificio, vel ſaltem ſegmento inferiore ad cervicis ambitum; ad aliam vero uteri partem prolabetur, ſi hic a ſitu ſuo naturali recedat, uti altera mea obſervatio (§. XIII) apprime hujus argumenti vim effectu probat. Mirandum ſane eſt, ipſos contrariæ ſententiæ Fautores hanc veritatem non perſpexiſſe, quum Capitis majorem molem in ratione parvitatis Embryonis optime cognoverint plerique, & ipſi interim gravitatem Capitis increſcentis habuerint pro cauſa Inverſionis verſus ſeptimum, vel octavum, menſem, uti id non tantum SPIGELIUS (σσ) arguit, ſed & jam olim pronunciavit ARISTOTELES (ττ) „ Caput ideo in partu orificium uteri petere, quia partem ſupra umbilicum majorem habet, quam inferiorem: majora autem plus ponderis continere: itaque veluti in ſtatera dependentia, eo vergere, quo trahuntur. II°. Docent obſervationes in gravidis feminis inſtitutæ, ſæpiſſime fieri, ut jam poſt quintum ſextumve menſem, uſque ad finem graviditatis, Caput Fetus orificio uteri innitens, exploranti digito occur-

(σσ) De formato Fœtu, Cap. IX.
(ττ) De Generat. Animal. Libr. IV, Cap. IX.

currat, & diſtincte ſatis ab Obſtetricatore poſſit diſcerni, quemadmodum me frequens docuit experientia, docuitque & Alios: ſic inter quadraginta tres gravidas, eum in finem ſedulo examinatas, in viginti ſeptem idem obſervavit cl. ONYMOS (υυ); egregius Anglorum Obſtetricator SMELLIUS, cujus nupera mors ingens reliquit ejus deſiderium, idem teſtatus eſt (φφ); ejusdem quoque auctoritatem ſuæ experientiæ adjungit cl. D. MONRO, qui & celebrem HUNTERUM, ſimiliter ſentientem, citat (χχ); conſentit hiſce PHIL. ADOLPH. BOEHMER, celebris apud Halenſes Artis Anatomicæ Profeſſor, atque Obſtetriciæ Cultor (ψψ); quibus denique clar. CAMPERI experimenta ſimilia (ωω) robur addunt. Neque abſtruſa valde ratio videri poterit peritis harum rerum, cur non prius, & cur non in omnibus gravidis ante ſeptimum menſem, exploratione detegi poſſit Caput Fetus, ad orificium uteri pendulum, ſi conſideraverint, Caput, totumque fetus corpuſculum, ſæ-

(υυ) Diſſ. *De natural. Fœtus in uter. mat. Situ* L. B. 1743, §. XIV, & XV: Occurrit ea etiam in cl. HALLERI Collect. Diſſ. Anat. Vol. V.

(φφ) *A Treatiſe on the Theory and Practice of Midwifery*, Lond. 1752, pag. 178.

(χχ) *Eſſay and Obſerv. &c. Vol. I, pag.* 423.

(ψψ) Disquiſ. *De ſitu uter. grav. Fœtusque a ſede Plac. in utero per regul. mechan. deducend.* §. *XI*, *not. t:* quæ exſtat poſt MANNINGHAMI Comp. Art. Obſt. Edit. Halenſ. 1746. Conf. etiam BOEHMERI ad idem opus Præfatio, pag. 9 & ſeqq.

(ωω) Vid. Collegæ honoratiſſimi *Vroedkundige Verhandelingen*, *pag.* 22 *en* 23: quæ exſtant ad frontem Edit. belgicæ Tractatus MAURICÆI, Amſt. 1759.

ſæpe ita ſuſpenſum teneri a ſuo umbilicali funiculo, ut orificium tangere non poſſit; dein, nimis parvam eſſe totius Embryonis molem atque gravitatem, quam ut primis menſibus tanta vi impingere poſſit deorſum, ut percipiatur ejus Caput, per orificium uteri; porro, ſi jam illud tangat, tum pondere ſuo niti in Cervicem uteri longam, craſſam, denſam, tenacemque, & ante ſeptimum menſem vix adeo mutatam, ut per ejus ſubſtantiam Capitis impulſiones digito tangente ſentiri poſſint; unde cl. ONYMOS recte monuit, eligendas pro tali exploratione eſſe feminas, quæ quorundam liberorum matres fuere, in quibus nempe orificium aliquomodo laxius eſſe ſolet: ipſe denique Fetus vivens, in amplo ſuo ergaſtulo, continuis motitationibus ſubripit ſæpisſime exploratori occaſionem Caput percipiendi, & quidem maxime id facit, cum explorationis ſtimulum perſentit. IIIº. Fetum in utero naturaliter Capite ſuo ad orificium delabi, confirmant variorum Auctorum obſervationes, in cadaveribus gravidarum inſtitutæ: vidimus jam, quomodo COLUMBUS edoctus fuerit ex cadaverum inſpectione, ſitum Fetus illum frequentiſſimum eſſe, quo Caput deorſum eſt converſum, & PLATERUS ſcripſerit, Embryonem plerumque Capite deorſum eſſe ſitum (vid. §. XIV): JUL. CÆS. ARANTIUS, quamvis oppoſitæ ſententiæ fautor, teſtatur tamen, ſæpius illum ſitum a ſe obſervatum eſſe(ααα):

P ſex-

(ααα) Libr. cit.

ſexto etiam menſe fetum in hoc ſitu in utero gravido repe-riit P. PAWIUS (βββ): dein cl. NIC. VENETTE (γγγ) Caput ejus ſemper deorſum inclinare perſpexit: duo exempla vidit clar. obſtetricator DE LA MOTTE (δδδ), qui maxime contra conſtantem fetus poſitionem, illamque, definito tempore contingentem, circumvolutionem, inſurrexit (εεε): celeb. NOORTWYK Fetum quatuor circiter menſium, clunibus fundo ovi inſidentem, Capite dextra quidem tenente, ſed verſus orificium poſito, invenit (ζζζ): D. MONRO Caput deorſum pendens vidit in ſemeſtri (ηηη): clar. SMELLIE in figuris ſuis, ad ipſam Naturam confectis, eundem ſitum delineavit (θθθ): cl. ROEDERER exhibuit in ſuis Iconibus Fetum ſex menſium Capite cernuum (ιιι): quibus omnibus tandem accedit utraque noſtra obſervatio in Cap. VI, §. VII, & in hujus §. XIII, expoſita, memoratum Capitis ſitum manifeſto exhibens. IV°. Caput Fetus ante ſeptimum menſem ſæpiſſime ad uteri orificium pendere, evincunt Abortus capite prævio peracti: tales in quadrimeſtri

(βββ) Obſerv. Anat. Select. VI, quæ occurrunt ad calcem TH. BARTHOLINI Hiſt. anat. rar. Cent. IV.

(γγγ) *De la Generation*, *pag.* 477.

(δδδ) *Traité complet des Accouchem. Obſerv. LIII & LV.*

(εεε) *Ibid. Livr. I, Chap. XXI, XXII & XXIII, & Livr. III, Chap. XLIV.*

(ζζζ) Uteri hum. grav. anat. §. 18.

(ηηη) Libr. cit. pag. 409.

(θθθ) *Tabl. VI, fig. I and II, and Tabl. VIII*; ut & in Explicatione:

(ιιι) Icon. uter. hum. Tab. V, conf. pag. 20, not. 2.

ſtri & quinquemeſtri, ipſe operationem inſtituens, obſervavi, talemque videbimus locum habuiſſe in illo, quem Capite X narrabo. Neque deſunt Aliorum exempla: ſic ipſe MAURICEAU, licet in obſervatione ſua L pedes ſemper in abortu prævios eſſe denuo inculcaverit, & plerisque in aliis neglexerit indicare, quænam pars offerretur, in nonnullis tamen veritatem haud reticere potuit: cum enim Abortus ſex menſium curam haberet, Fetu vivente, Caput offendit, priusque illud removere fuit coactus, quam pedes arripere, illumque protrahere, valeret; alias ſemeſtrem debuit invertere, ut pedes poſſet quærere; alio tempore ſimilem effecit encheireſin; alio loco memorat quinque menſium Fetum, cujus brachium prolapſum præcedebat Caput (κκκ): clar. DE LA MOTTE ex Abortuum varia parte prævia ratiocinatus fuit contra Veterum opinionem, frequenti certe praxi edoctus (λλλ): conſentit expertiſſimus SMELLIE (μμμ): neque idem obſcure indicavit optimus ROEDERER (ννν): imo vix ullum fore crediderim ad Artis obſtetriciæ ſacra admiſſum, qui argumentum hocce negaverit. Expoſita illa Argumenta veniam mihi dare videntur, quod inter Veterum ſententiæ, graviſſimorum quamvis

P 2 Vi-

(κκκ) Vid. Ejus *Obſervations LIX, CCXVI, DCLI & DCLXXVII.*
(λλλ) Libr. cit. *Livr. I, Chap. XXI.*
(μμμ) *Treatiſ. pag.* 178, nec non in *Collect. of Caſ. and Obſerv. in Midwif. pag.* 213.
(ννν) Elem. Art. Obſt. §. 731 & 732.

Virorum auctoritate roboratæ, patronos haberi nolim, ſed potius cum Recentioribus, præcipue clariſſ. ONYMOS (ooo), CAMPERO (πππ), D. MONRO (ϱϱϱ), atque ANDR. BUCHNERO (σσσ), concludam, *Naturalem Fetus Situm in utero, & maxime frequentem, ſiſtere Caput in inferiore, Pedes in ſuperiore, uteri regione.* De quo ſitu cernuo, illud etiam notandum breviter eſſe, exiſtimo, Faciem fetus fere ſemper unum alterumve latus uteri ſpectare, adeoque aures verſus oſſa pubis & ſacrum matris eſſe poſitas (τττ).

§. XVII. Nequaquam tamen adeo perpetuam illam poſitionem Fetus, quamdiu vivit & agilis eſt, habeo, quin putem, „ hunc ſæpiſſime ab ea deflectere, nunc adſciſcere „ transverſam, nunc hanc, alias illam, ſui corporis par- „ tem ad orificium deferre, imo non raro Capite ſuo „ fundum uteri ſpectare (conf. §. XV): eamque ſitus mutationem durante geſtatione fieri, non levia iterum dictitant Argumenta. I°. In aqua amnios natans, ſpecifice non multo ipſa gravior, multumque agilis, Fetus, ut jam in utero artuum, aliorumque membrorum, motibus exercendis machina ejus adaptetur, ita quaſi geſticulatur, ut qua-

(ooo) Diſſ. cit. §. VII.
(πππ) L. c. pag. 23.
(ϱϱϱ) L. c. pag. 423.
(σσσ) Diſſert. *De genuino Fœtus in ut. mat. ſitu naturali*, Halæ 1758, §. XXXVI & XXXVIII.
(τττ) Conf. PAWII obſervatio cit. SMELLII figuras, ROEDERERI Tab. V, & imprimis CAMPERI Diſſ. cit. pag. 23, Alioſque.

quaquaverſum ſuum circumvolutet corpuſculum, ideoque Gravidæ varias ſui fetus partes nunc in hac, nunc in alia, abdominis regione diſtincte adeo percipere ſolent, ut mirum non ſit, rei veritatem perſpectam fuiſſe HARVEIO (υυυ), Veterum licet opinioni addicto, dicenti: „ Ego vero non „ arbitror fœtum eandem ſemper membrorum poſitionem „ ſervare: quippe in aqua natans, ſeſeque movens, mo„ do huc, modo illuc, extenditur, varieque inflectitur, „ & volutatur, adeo ut, proprio umbilici funiculo implexus, „ mire irretiatur. Fœtum etiam humanum in utero di„ verſum ſitum nanciſci, gravidæ norunt; quarum ute„ rum modo ſuperne, modo inferne, nunc in hoc, nunc in „ alio latere, pulſat “: neque aliter ſenſerunt DE LA MOTTE (φφφ), SMELLIE (χχχ), CORN. PLEVIER (ψψψ), aliique Obſtetricatores, conſentientibus etiam nonnullis Anatomicis, uti J. DRAKE (ωωω), HALLERO (αααα), NOORTWYKIO (ββββ) &c. Ex quibus tamen precario nonnulli concluſerunt, Situm naturalem Fetus eſſe plane indefinitum, atque indeterminatum; quod nempe in præcedenti §. ſatis evictum eſt, veritati contrariari. IIº. Exploratio poſt quin-

 tum

(υυυ) Loc. cit. pag. 345 & 346.
(φφφ) Libr. cit. *Livr. I, Chap. XXI, pag.* 94.
(χχχ) *Treatiſe &c. Book I, Chap. I, Sect. I.*
(ψψψ) *Gezuiverde Vroedkunſt, Hooftſt. VII*, §. 87.
(ωωω) *Antropolog. Book I, Chap. XXII.*
(αααα) Not. ad Præl. BOERHAV. Tom. V, part. II, pag. 385, nec non Prim. Lin. Phyſiol. §. DCCCXLIII.
(ββββ) Libr. cit. §. 97.

tum graviditatis menſem, vario tempore, inſtituta, ſæpiſſime detegit diverſas Fetus partes, ad uteri orificium poſitas: hoc multis obſervationibus me docuit propria experientia, confirmata aliis, quas inſtituit cl. ONYMOS (γγγγ), qui in ſedecim gravidis, inter quadraginta tres, quas exploravit, rem ita ſe habere expertus eſt, ut in aliis nihil ſentiret; in aliis ſingulis examinibus ſitum mutatum experiretur; inque reliquis viginti ſeptem conſtanter inveniret illum, quem ſupra, ut naturalem, deſcripſimus. Hæcque Situs mutatio fere perpetua non tantum in principio, ſed & verſus finem graviditatis, fieri obſervatur: patet hoc ex ipſo MAURICÆI Tractatu (δδδδ), & cl. DE LA MOTTE hac obſervatione cum maxime uſus fuit, ad celebrem iſtam Fetus præcipitationem refutandam (εεεε): in praxi mea multoties fui expertus, breviſſimo tantum, ante ipſum partum naturalem, tempore Caput prævium ſe exhibuiſſe: dumque hæc ſcribo, conſilium meum rogat obſtetrix, difficilem iterum partum fore præſagiens Feminæ, quæ ultimum ſuum fetum præternaturali modo excluſerat, quia nunc explorando gravidam, ad terminum geſtationis progreſſam, Caput fetus non offenderet prævium; ſequenti tamen die partum naturalem, felicemque, hæcce mulier peregit. Illo tempore ſitum Fetus, ejusque Capitis

(γγγγ) Diſſ. cit. §. XV.
(δδδδ) *Livr. II, Chap. V.*
(εεεε) Libr. cit. *Livr. I, Chap. XXIII, & Livr. III, Chap. XLIV.*

tis, nequaquam adeo fixum & conſtantem eſſe, quin mutationi maxime ſit obnoxius, evincunt partus difficiles, atque non raro præternaturales, qui ex iniqua Capitis prævii poſitione oriuntur: idem ultro comprobant partus ſeptimeſtres, octimeſtres, & maturi, qui vel Agrippini ſunt, vel qui clunes, aliasve Fetuum partes, habent prævias, & eam propter cauſam toties præternaturaliter abſolvi debent, ut exempla adduxiſſe ſuperfluum habeam: norunt enim hiſce diebus modice tantum peritæ Obſtetrices tales invertere, &, ſi vivant adhuc, vivos protrahere, quos Veteres, infauſto conſilio, in caput converti jubebant, uti & eorum Sectatores omnes, donec primum a PETR. FRANCONE (ζζζζ) verſio illorum in pedes ſedulo edocta, dein vero a PARÆO (qui perperam illius methodi auctor plerisque haberi videtur), Aliisque, feliciter in praxin introducta, fuerit. III°. Abortuum excluſiones adeo diverſo Fetuum ſitu ſolent fieri, ut modo Caput, modo pes unus vel uterque, modo alia quæcunque pars eorum, primum ex utero prodeat, determinatuque non facile ſit, quænam ſæpius occurrat prævia, quamvis MAURICEAU, cumque eo multi, pedes frequentius, aut ſemper, præcedere, haud dubitaverint affirmare: Ipſe tamen in ſemeſtri abortu prævium obſervavit Brachium, idem in trimeſtri, nec non in

(ζζζζ) *Traitè des Hernies*, *Chap. LXXXIV*, *pag.* 356 & 358: conf. G. FABRICII HILDANI oper. omn. pag. 658, in Epiſt. ad CROQUERUM.

in ſemeſtri altero (ηηηη), quibus ſi addamus ea, quæ in §. XVI, n. IV, expoſita ſunt, certum facile haberi poterit, Abortus vario, ſæpeque oppoſito, ſitu ex utero emitti. IV°. Licet in cadaveribus gravidarum Situs naturalis, quo deorſum pendet Fetus Caput, ſæpe ante menſem ſeptimum occurrerit (§. XVI, n. III); conſtat tamen Aliorum obſervatione, eum non perpetuo talem inveniri, uti jam olim HIPPOCRATES, PLATERUS, atque PARÆUS, perſpexiſſe videntur (θθθθ): IOAN. quoque RIOLANUS, ad conciliandam variam Auctorum ſuper hac re opinionem, declaravit, „ cauſam diſcrepantiæ eſſe, quod in prægnantibus mor„ tuis ex violentia morbi, & parere enitentibus, diver„ ſos ſitus infantum obſervaverint; quo tempore agitatus „ infans poteſt ſua ſede dimoveri, & membrorum ſeu ar„ tuum ſitum naturalem immutare (ιιιι). COLUMBUS etiam quamvis frequentiſſimum ſtatuat, Caput deorſum eſſe converſum, vidit tamen quoque illud in utero ſurſum elevatum, imo & Fetus ſitum transverſum (κκκκ): HIERON. FABRICIUS unum Fetum erectum, duos transverſos, diverſosque alios, depinxit (λλλλ): ipſe ARANTIUS, vario ſitu obſervato, pronunciavit, „ de poſitura Fetus

in

(ηηηη) *Obſervat. CCII, CCXIV, & CCXCII.*
(θθθθ) Vid. §. XIV, pag. 106.
(ιιιι) Oper. Omn. p. m. 402.
(κκκκ) Vid. loc. ſupra cit.
(λλλλ) Oper. Omn. Anatom. & Phyſiolog. Fig. 6, 8, 11, 12, 13.

„ in utero nihil perpetuum determinari licere (μμμμ): ita & DIEMERBROEKIUS ſcripſit „ Fœtus ad latera interdum „ procumbere, & transverſum quaſi ſitum aſſumere “, atque ita etiam depinxit (νννν): BIDLOUS Caput verſus uteri fundum invenit, & delineavit (ξξξξ): DE LA MOTTE transverſum Fetus ſitum in diſſecta gravida vidit (oooo): ALEX. MONRO Junior eundem fere ſitum obſervavit, quem exhibuit Bidlo (ππππ): noviſſimum exemplum Capitis, ſuperiorem uteri regionem occupantis, tradidit ROEDERERUS (ϱϱϱϱ). Ut itaque ſectiones cadaverum evincant, ſæpius a definito naturali Situ abludere Fetus tempore graviditatis. V^o. Idem manifeſtiſſime docent Funis umbilicalis circumvolutiones illæ mirabiles circum Fetuum collum, aliasve eorum partes, ut modo inſtar laquei illos ſtrangulare videatur; modo in partu ſuſpenſos retineat; alias artuum incrementum impediat; placentam ab utero avellat; aut ipſe rumpatur; aliove modo partui, vitæque fetus, matrisve, noceat; imo quandoque appareat integrum formaſſe Nodum, ſæpius obſervatum a MAURICÆO (σσσσ), qualem Academiæ R. S. Sociis oſtendit cl. PE-

Q TIT

(μμμμ) Libr. cit. in init. Cap. XII.
(νννν) Libr. cit. & Tab. VIII. fig. 1.
(ξξξξ) Libr. cit. Tab. LVI.
(oooo) Libr. cit. *Obſervat. LIV.*
(ππππ) *Eſſays and Obſerv. &c. Vol. I, Art. XVIII, pag.* 428.
(ϱϱϱϱ) Icon. uter. hum. Tab. II, pag. 4.
(σσσσ) *Obſervations CXXXIII, CCCXII & DLXV.*

TIT (ττττ), & me olim etiam Parisiis vidisse memini apud cel. LEVRET, egregium in Arte Obstetricia Præceptorem. Quibus omnibus argumentis sufficienter comprobatum esse confido, Situm illum naturalem, & maxime consuetum, Fetus in utero, in §. præcedenti determinatum, nequaquam esse perpetuum atque constantem, sed sæpius durante graviditate mutari. Inter varios autem, quos Fetus adscifcit, Situs, frequentiorem, & quiescenti imprimis commodum, esse illum, qui Transversus sit, habendum censeo: quando nempe arcuata illa superficie, quam caput, dorsum, & clunes, efficiunt sua incurvatione ad anteriora, innititur media cervice & toto segmento inferiore uteri: neque raro fieri, ut Caput quodammodo magis in uno, alterove, latere, versus uteri fundum feratur, prouti clunes propius ad orificium accedant: adeoque hunc facile ex memorata Capitis, aliarumque supra umbilicum positarum partium, proportione intelligi posse credo. Verum interim esse concedo lubens, post septimum mensem, ultima graviditatis periodo, Caput Fetus magis constanter, globi magni adinstar, ab Obstetricantibus ad orificium uteri, hujusque segmento inferiore innitens, inveniri, quam antea: hujus autem phænomeni intellectus haud sane difficilis erit perspicienti, volumen Capitis, ut & totius corporis, ejusque increscens pondus, tum tempo-

po-

(ττττ) *Hist. de l' Acad. R. des Sc. Ann.* 1718, *pag.* 40. Ed. in 8.

poris efficere, ut Fetus fortius impingat in eas partes, & graviore pondere nitatur, ſicque majorem quoque deſcenſum in pelvim producat: id quod eo magis efficitur, quia tum cervix uteri laxa, emollita, magis cedit impellenti Capiti: imprimis denique eo facit proportio aquæ amnios imminuta in ratione molis Fetus, unde tam libere, tamque frequenter, non amplius geſticulari poteſt, ac antea, in ſuo ergaſtulo, quemadmodum facile patebit cuilibet, intuenti & comparanti figuras Embryonum, Fetuumque maturorum, ovis ſuis integris incluſorum (υυυυ).

§. XVIII. Eſt tamen, quibus ponderoſa videtur contra noſtram opinionem mota Difficultas, „ Nullam dari, ſcilicet, „ cauſam, quæ eum Situm efficiat talem, ut in naturali par- „ tu facies Fetus os ſacrum, occiput vero oſſa pubis, reſpi- „ ciat (φφφφ): hanc vero objectionem (quam contra vetuſtam, æque ac quamcumque aliam, ſententiam, non minus, quam contra noſtram, valere, ſi robore quodam prædita eſſet, ſufficiet monuiſſe) ex præmiſſis §. §. facile dilui poſſe, opinor. Si etenim perpendamus gravitatem totius corporis Fetus, facientem, ut ultimo geſtationis tempore magis pondere ſuo nitatur deorſum; ſi conſideremus minorem laxatæ jam cervicis uteri reſiſtentiam, & Capitis in pelvim

 fa-

(υυυυ) Conf. B. S. ALBINI figuras pag. 110 cit. cum Ejus Tab. uteri grav. II & III: aut SMELLII Tab. VI, cum Tab. XI & XII.
(φφφφ) Vid. inter Alios cl. ROEDERER Elem. Art. Obſt. §. 83.

faciliorem descensum; si addamus insigne decrementum proportionis aquæ amnios; sponte patet, cur Caput poni soleat deorsum, versusque finem graviditatis constantius in eo situ permaneat. Quod porro faciei positio naturaliter ad os sacrum matris converti debeat, docet reliqui corporis situs: errare nempe mihi videntur, qui statuunt, Fetum sua facie semper abdomen matris, dorso lumbos respicere: absurde nonnulli scripserunt, illud masculis proprium esse, contrarium situm femellis: arcuata quippe dorsi fetus figura vix permittit, ut ad vertebras lumbales prominentes curvatum corpusculum poni commode possit: hinc plerumque ita locatum est, ut lateribus suis abdomen & lumbos matris spectet, quemadmodum, caput auriculis suis ossibus pubis & sacro matris respondere, antea monuimus, sicque, si quiescat, commode in utero resideat. Hinc fit, ut primis partus doloribus, majore Capitis fetus dimensione respondente majori pelvis, & minore minori, caput aliquantum lateraliter ingrediatur aperturam hujus superiorem, dein autem ulterius delapsum, in medio cavo pelvis (ubi dimensionum ratio est inversa) incurrat in os ischii, indeque, nisi deviatio admodum magna fuerit, facile determinetur, levi rotatione facta, facies in partem ossis sacri anteriorem maxime concavam, & occiput ad pubem ita dirigatur, ut naturali positione Caput in lucem prodeat.

C A-

CAPUT VIII.

Obſervatio Uteri in partu rupti, Fetusque in abdominis cavum prolapſi.

§. I.

Parturierat jam aliquot dies Femina, in hujus civitatis ſuburbio habitans, cum mane a. d. xx Martii A. CIƆIƆCCLVI, ad auxilium ipſi ferendum, implorarer: dum vero protinus ad ſalutem pauperculæ procurandam me accingo, en ipſæ, quæ paulo ante adventum meum enixe rogaverant, mulieres redeuntes triſti nuncio mecum communicabant, miſellam illam jam vitam cum morte commutaſſe; adeoque inutilem futuram eſſe meam operam; immaniter interim invehentes in Obſtetricem veteranam, innumerorum malorum ſcaturiginem, & plurimorum infortuniorum cauſam, quæ ſcilicet pridie in auxilium vocata Medicum, vel Obſtetricatorem, arceſſi, fauſtiſſima ſemper (uti ſolent illæ) prognoſi facta, continuo diſſuaſerat, dein obſtentatione atque clamoribus dehortata fuerat, calumniis denique & conviciis profuſis, indeque nato decumbentis metu & averſione, impediverat, ad hanc usque horam. Inexſpectata hacce narratione audita, conſultum nihilominus duxi, adeundam mihi eſſe defunctæ

illius domum, visuro nempe, numquid ex iis, quæ durante partu infausto locum habuerant, conditionibus, vel ex ipsius cadaveris apertura, proficere mihi daretur, aut humanissimo conamine vivum adhuc Fetum ex mortuæ matris utero extrahere possem: qualem sectionem in gravidis provectis omittere religio mihi, & humanitas, non tantum dissuadere videntur, ast adeo stricte suis legibus imperare, ut doleri sufficienter non possit, toties negligentiæ hujus officii reos sese sistere mortales, defunctarum vel matrimonio, vel sanguine, proximos. Uti vero eorum, quæ in partu gesta erant, fere nihil poteram expiscari, quod teterrimæ mortis causam ullatenus illustraret, ita quoque tantam primo difficultatem Cadaveris aperturæ opponebat Maritus, ut etiam de hac consilii mei parte desperare inciperem, indeque fiebat, ut nullo modo extractionem Fetus, per sectionem cæsaream, tentare saltem potuerim. Aliquam tamen successus spem videbatur promittere Parentum defunctæ flexilitas: quos itaque post meridiem denuo adii, & variis argumentis & ratiocinationibus, summam necessitatem inquirendi illius cadaveris monstrantibus, & utilitatem, exin in alias parturientes redundaturam, evincentibus, ita fui aggressus, ut laudabili omnino, ipsisque religioso habito, exemplo (consentiente etiam marito), voto meo annuerent, imo, quod prius id non fecissent, mecum dolerent.

§. II.

§. II. Sequenti mane sectionem Cadaveris institui, comitante me uno ex meis Collegis amicissimo, qui Literarum Bonarum culturæ deditus, ab Anatomes quoque cognitione, rerumque memorabilium inspectione, haud abhorret. Invenimus totum abdomen, maxime, ultraque gravidi modum, turgidum: in vagina caput fetus poterat tangi nudum, & tantopere deorsum propulsum, ut vix pollicem ab exitu vulvæ distaret, &, quamvis obliquum haberet situm, potuisset tamen ope aptæ Forcipis satis facile protrahi. In incidendo abdomine crassior apparebat, quam in gravidis solet, panniculus adiposus, inque suis cellulis continebat multum aëris, emphysema efficientis, suoque insigni fœtore, ingentem jam adesse putrefactionem, indicantis. In abdominis aperti cavo mox oculis nostris nudum se exhibebat Fetus femellus, maturus, permagnus, lividus, corruptus, toto corpore immaniter intumescens, odorem pessimum spirans, mortemque longiore certe intervallo prægressam fuisse indicans, quam ut incisione abdominis, pridie mane facta, vita ejus salvari potuisset: id quod pristino meo dolori levamen ferebat haud exspectatum.

§. III. Non erat tamen ille fetus, vitio Conceptus, intra abdomen gestatus, inque eo suum incrementum ceperat, sed per *Uteri Rupturam* in illud delapsus. Ruptura hæcce erat in regione uteri inferiore atque anteriore, respon-

ſpondens parti laterali, ſuperiori, poſteriorique, oſſis pubis ſiniſtri, indeque dextrorſum, parumque ſurſum, juxta pubem, tendebat, tam magna, ut, quamvis uterus jam eſſet conſtrictus, fere quatuor tamen pollices longa eſſet: margines ipſius laceri, inflammati, locis gangrænoſis corrupti, cernebantur. Uterus interim adeo erat contractus, elapſo ſuo fetu, ut in abdomine repræſentaret tumorem, pollices circiter ſex longum & quinque latum, in ſiniſtro latere a pelvi ad renem usque extenſum, nullis omnino, niſi ſuperne, tectum inteſtinis, quæ omnia, cum omento ſuo, ſurſum preſſa, ambiebant uterum, & fetus latera atque partem ſuperiorem: erantque illa, præſertim vero omentum, ſanguine turgida, rubra, inflammata.

§ IV. Fetus ipſe hunc exhibebat ſitum: ejus Caput firmiter hærebat impactum cavitati pelvis & vaginæ, ita tamen, ut facies ſpectaret latus dextrum matris: doloribus partus tantopere erat depreſſum, ut vires ſatis inſignes debuerim adhibere, priusquam illud inde extrahere potuerim: unde forma ejus, atque faciei ſpecies, ſummopere erant deſiguratæ: quo tamen non minus, quam violenta dolorum impulſio, contribuiſſe videbatur illius putrefactio, & forte imprudentium obſtetricum rudis tractatio, quoniam pelvis recte conſtituta erat, anteaque tres partus feliciter enixa fuerat hæcce mulier. In uteri fiſſura memorata, ad inguen cadaveris ſiniſtrum, hære-

re-

rebat humerus fetus dexter cum ſua ſcapula, ſiniſter libere intra abdomen jacebat: pectus ejus, & venter, reſpiciebant integumenta abdominis matris, ita ut dextra mamma oſſi ileo hujus propinqua eſſet: dorſum, atque os ſacrum, ad poſteriora matris ſpectabant: nates occupabant ſuperiorem abdominis regionem ultra umbilicum, ut anus apertus ſuperiora teneret. Femore dextro deorſum ad abdomen inflexo, in medio ejus cavo, dextrum crus ita ad latus abdominis ſiniſtrum erat extenſum, ut pes ſurſum inflexus lienem fere contingeret: femur ſiniſtrum hærebat in latere dextro, crure ſuper vulvam ſiniſtrorſum reflexo. Cubitus dexter ſub articulo pedis dextri cum crure emergebat ſurſum, manu ejus deorſum inflexa, & amplexa inferiorem femoris partem, ſimulque genu flexuram: brachium ſiniſtrum in latere abdominis dextro, ſuper os ileum, indeque verſus medium ejus cavum, extendebatur, ut digiti pectus medium tangerent, & funiculum umbilicalem comprehenderent.

§. V. Non minus alienam poſitionem habebat Funiculus umbilicalis: qui, ex abdomine Fetus prodiens, ſub parte ſuperiore cruris ſiniſtri, & poplite, ſurſum flexus, extrorſum ad latus dextrum matris tendebat: in hoc dein latere deſcendens, juxta latus ſiniſtrum fetus, ſub cubito manuque ſiniſtra, pergebat ad mediam abdominis partem, trans pectus fetus, uſque ad pubem matris: indeque ite-

rum juxta humerum dextrum, parum adſcendens ſiniſtrorſum, donec per rupti uteri aperturam ingrederetur ad ſuam Placentam, quae ad parietem uteri poſticam, e regione rupturæ ejus (§. II), erat adnexa, partimque cum ovi membranis per illam propendebat.

§. VI. Longe minus felici mihi eſſe contingebat in iis indagandis, quæ durante pernicioſo hoc partu acciderant, conditionibus, quam in acquirenda venia aperiendi cadaver. Omne illud, quod expiſcari potuerim ex adſtantibus, &, quæ prima adfuerat, pſeudo-obſtetrice, vix quidquam ad illuſtrandam teterrimæ mortis cauſam facere videtur: lubet mihi tamen ea, quæ reſciverim, hic apponere, ne quid, quod ad Obſervationem noſtram ſpectat, omiſiſſe videar. Defuncta, quæ a. d. XVII Martii ſatis bene valuerat, noctis inſequentis hora circiter tertia ſubito correpta fuerat doloribus partus validiſſimis, ut Obſtetricem ſumma cum feſtinatione arceſſi juberet, utpote aquam ſibi effluere, impulſum partus verſus exitum fieri maximum, ipſamque ejus excluſionem mox inſtare, putans. Cum itaque a. d. XVIII obſtetrix illa mane adveniſſet, deprehendit, uti mihi expoſuit, eo tempore caput fetus tam parum in pelvim deſcendiſſe, ut digito ſuo tangi vix poſſet. Eodem die poſt meridiem magnam aquæ copiam e genitalibus profluxiſſe, abſque ullo intermixto ſanguine, obſervavit: atque dein lente admodum, & abſque deſiderato

rato successu, tragoediam peractam fuisse. Venas a. d. XIX in omni corporis superficie admodum inflatas fuisse, notavit, easque ita distentas permansisse usque ad mortem. Vix percepisse se asseruit ullam dolorum partus efficaciam in depellendo fetu, quum omnes fere spurii essent censendi, quique potius passionem hystericam validam, anxietates immanes, nauseas, & vomitus continuos, excitarent, quam partum promoverent: quibus factum fuerit, ut parturientis ventriculus, quæcunque ei ingererentur, retinere non posset, ita ut, quamvis intolerabili fere siti vexaretur, potum tamen vomitu perpetuo rejicere cogeretur, ægra, ad mortem usque, quæ a. d. XX, horam versus nonam matutinam, contigerat. Inter alias ipsi propositas quæstiones, rogavi, num defuncta, durante partu, questa fuisset de insigni dolore & cruciatu, aliave molesta affectione, circa inguinis sinistri regionem? negabat, ullum dolorem singularem ab ipsa indicatum fuisse: num, & quando, sanguinis profluvium e genitalibus, observasset? testabatur, durante toto partus tempore nullum profluxisse sanguinem; quod certe vix credi posse videretur, nisi nimis simplicem istam habuissem, quam ut suspicarer, quod mihi voluisset imponere: num defuncta in partu, & imprimis paulo ante mortem, spasmis & convulsionibus fuisset correpta? asserebat, illam placidissime ad plures abiisse; id quod etiam aliæ ex vicinia, quæ adfuerant, mi-

hi denunciaverant. Plura expiſcari, vetuit ſumma obſtetricis ignorantia, vel ſaltem hic exponere, rerum incertitudo.

§. VII. Hiſtoriam uteri in partu rupti mihi hic conſcribendam eſſe cenſui, non adeo, quod rariſſimam, atque inauditam, illam putaverim; ſed quoniam novum præbuit exemplum cauſæ mortis, longe frequentioris, quam a plerisque Medicis, ſolet exiſtimari, in iis caſibus, ubi ſæpius paulo poſt partum, primo adſpectu fauſtiſſimum, ineluctabili letho repente exſtinguitur puerperæ vita. Horret mihi, doletque, animus, quoties de luctuoſiſſima tali rerum facie mecum cogito. Vertamus enim oculos ad Puerperam, mox fetu ſuo liberatam, quæ, violentiſſimis partus cruciatibus modo vexata, deſideratoque diu partu ſequuto, quaſſantibus doloribus hoc momento immunis facta, ſumma nunc quaſi beatitudine frui videtur, ſuamque felicitatem geſtu non minus, quam verbis, declarat; quæ ſuaviter ſibi ipſi blanditur, auditu viſuque ſuæ ſobolis, quam, tamquam viſcerum ſuorum partem, proprioque ſanguine paſtam, intra uterum geſtavit huc uſque, aſt jamjam amplexibus maternis recipere, lacte ſuo nutrire, blando ſinu ſumma cum ſollicitudine fovere, avidiſſime cupit; repræſentemus, inquam, quibus contigit in hiſce Naturæ efficaciam contemplari, animo noſtro maxima illa gaudia, quæ puerperæ, modo Matri factæ, quaſi propria ſunt.

Re-

Reſpiciamus quoque Mariti, qui Patris nomine nunc inſigniendus eſt, habitum; quem paulo ante, ſummo angore, & improſperi eventus metu, perculſum, animoque & corpore tremulum, videramus; quem dolores, thori ſui Sociam affligentes, non minus fere ac ipſam cruciarunt; quem dulcis matrimonii fructus nunc exhilarat adſpectus; cui, ipſo hoc excluſionis fetus peractæ momento, Amor, Lætitia, Spes, undique affulgent, neſcio num Matri primum chariſſimæ, an exoptatiſſimæ Soboli, animi ſui affectum ſit ſignificaturus. Addamus his ſummi illud gaudii ſpectaculum, quod adauget vultus adſtantium, Amicam ſuam, aut Conſanguineam, diris partus cruciatibus liberatam, diuque deſiderati infantis matrem, intuentium! Omnem hancce ſcenam, pulcerrimamque rerum humanarum faciem, qua beatior forte nulla mortalibus data eſt, non raro, perbreve poſt intervallum, turbat iniquum animi Puerperæ deliquium, frigidos ſudores inter & convulſiones ſubitaneam poſt ſe trahens mortem, totamque domum, atque familiam, percellens lugubri tragœdia, eo triſtiore, quo magis inexſpectatum ſit, & momentaneum quaſi illud gaudium evanidum reddat, dolendum hoc multarum Puerperarum fatum! Mortis illius ſubitaneæ ſolent quidem variæ recenſeri cauſæ, nullas tamen frequentius uſu venire crediderim, quam Uteri Hæmorrhagiam violentam, aut hujus organi Rupturam. Hæmorrhagiam ſæpe in cauſa eſſe, ſolent

lent quidem plerique agnoſcere Practici, an vero recte perſpiciant, mali cauſam plerumque quærendam eſſe in præcoci ſolutione & extractione placentæ ex utero debilitato, propterque torporem & inertiam, ſolitam ſubſtantiæ ſuæ conſtrictionem (quæ vaſa aperta & ſinus venoſos occludere, & profluvium ſanguinis coërcere, debet poſt partum) non exſerente, quam maxime dubito: quæ tamen cauſa ſummam requirit Medicorum attentionem, mereturque, ut ſedulo Obſtetricibus inculcetur, ſicque illæ abſtinere diſcant a ſecundinarum ſolutione, priusquam, conſtrictionem uteri jam fieri, ſigna apta declarent (α). Ruptura uteri, altera illa cauſa mortis ſubitaneæ Puerperarum, minus etiam, quam oportet, mihi cognita videtur, quamvis inſignis exſtet numerus obſervationum, illam adſtruentium: ita teſtatur Gallus Obſtetricator Gregoire, ſe decies ſexies Rupturam uteri, ſpatio triginta annorum, obſervaſſe (β): cl. Heister hanc affectionem in partu difficili ſæpius, quam hactenus perſpectum eſt, contingere, recte animadvertit, novum ſimul exemplum ejus tradens (γ): ill. Haller, intra ſedecim menſes, ter obſervavit uterum ruptum, in Gottingenſi, non adeo magna, urbe (δ): occurrunt præ-

(α) Legi ſuper hac re meretur cl. Levreti commentatio: vid. Ejus *Suite des Obſerv. ſur les Cauſes et les Accid. de pluſieurs Accouch. laborieux*, *Art.* X, *pag.* 261.
(β) *Hiſt. de l' Acad. R. des Sc. Anno.* 1724, *pag.* 52.
(γ) Act. Phyſ. Med. Vol. I, Obſ. CLXXVI.
(δ) Opuſc. Pathol. Obſ. XXXVIII.

præterea varia, apud diversos Scriptores dispersa, exempla, quæ maximam partem colligi poterunt ex HEISTERI Institutionibus Chirurgicis (ε), ut et I. F. BEHLINGII Dissertatione (ζ), atque cl. CRANTZII Commentario (η): neque dubium est, quin multa alia fiant, quæ cum ipsis gravidarum, puerperarumve, cadaveribus, terra recondantur. Dolendum itaque summopere est, tam incertam esse hujus mali diagnosin, quodque huic formandæ non majorem lucem adfuderint memoratæ observationes, partim, quia Auctores, uti quoque mihi contigit, partui infelici plerumque non adfuerint, aut nimis sero accesserint; partim, quia ea, quæ in cadaveribus notanda erant, anteaque erant prægressa, haud accurate satis descripserint. Unde nos generalioribus quibusdam signis ab HEISTERO, CRANTZIO, & ROEDERERO (ϑ), collectis, oportet huc usque esse contentos.

§. VIII. Si Rupturæ uteri varias Causas, apud Observatores occurrentes, & a modo citatis præcipue distinctius propositas, intueamur, in nostra observatione videntur plures concurrisse, ad lethalem istam affectionem producendam: uti v. g. Fetus permagni volumen, & forte imma-

(ε) Part. II, Sect. V, Cap. CXIII, §. XIV.

(ζ) Diss. *de Rupto in partu Utero*, Altorf. 1736: quæ etiam exstat in cl. HALLERI collectione Diss. Chirurg. Tom. III.

(η) De Rupto in partus doloribus Utero, Lips. 1756.

(ϑ) Elem. Art. Obst. §. 764.

manes robuſtorum artuum motus, aut convulſiones; dein iniquus Capitis ſitus in pelvi; ipſius quoque Uteri poſitio obliqua; Placentæ denique adnexio ad poſteriorem uteri parietem, eo ſuam ſymbolam conferre potuerunt: neque mihi non veriſimile videtur, ultimam cauſam præcipuas egiſſe partes, quum ſatis conſtet, eam in anteriore uteri pariete majorem extenſionem atque extenuationem, adeoque faciliorem ſubſtantiæ uteri ad oſſa pubis compreſſionem & colliſionem, potuiſſe efficere, tandemque ipſius rupturam, concurrente una, alterave, cauſa, excitaſſe (*i*). Incertum vero illud temporis momentum videtur, quo contigerit hæc uteri Ruptura: ſi tamen in re obſcura & incerta hariolari liceat, haud alienum a veriſimilitudine putaverim, illam jam factam fuiſſe prima partus nocte, cum violentos iſtos dolores percipiens inſtantiſſimam fetus excluſionem puerpera exſpectabat, adveniens interim obſtetrix caput ejus vix attingere poterat (§. VI): faventque huic ſuſpicioni, lentor & inefficacia reliqui partus; maxima fetus corruptio; inſignis quoque ipſius corporis matris putrefactio; cumque iis juncta ſucceſſio variorum effectuum memoratorum, absque ulla alia apparente rupturæ cauſa, aut tempore, durante integro partus decurſu. Sym-

(*i*) De illa expanſione inæquali uteri a varia Placentæ ſede paſſim ſcripſit cl. Levret, imprimis *Suite des Obſerv. Art. II*, *Sect. I*, *pag.* 80 *et ſuiv.* ut et cl. Boehmer in Diſſ. cit. ad pag. 112: deque ruptura inde naſcente conf. I. I. Muller, in Diſſ. *de Rupto Utero*, Baſil. 1745, §. XCIII ad XCVIII.

Symptomata, quæ doleo me obſervare non potuiſſe, ſenſim ſenſimque deteriora (quantum ex narratione patet) facile explicantur, ſi mali ſedem & naturam perpendamus, niſi quod mirum cuilibet, absque dubio, videbitur, nullum apparuiſſe ſanguinis profluvium: potuit autem primum capitis, dein vero humeri, appreſſio ad labia vulneris, totiuſque pelvis oppletio exacta, omnem intus retinere ſanguinem. Signorum Rupturæ uteri doctrina nullum ex noſtra obſervatione capere potuit emolumentum, propter ſerotinum meum adventum, & hiſtoriam morbi imperfectam. Supereſt, ut paucis reſpondeam ad propoſitam quæſtionem, „ num parturiens noſtra ab accedente „ perito Obſtetricatore potuiſſet ſalvari? vel, quod eodem redit, „ num in alia ſimili rerum conditione ab Arte ob„ ſtetricia aliquod auxilium exſpectari poſſit; an potius „ miſera certæ morti ſit tradenda? Si durante partu certis ſignis conſtaret, talem Rupturam uteri factam fuiſſe, & mater lethalibus omnino ſymptomatibus, quæ certo certius indicarent proxime inſtantem mortem, nondum laboraret, nequaquam peritis ſuæ Artis licitum fore opinor, negligere quidquam, quod certo morituram forte poſſit ſalvam reddere: auxilium autem imprimis determinari debere a vita ſuperſtite, vel non ſuperſtite, Fetus, hujuſque ſitu. Si viveret fetus, totus in abdomen prolapſus, deque ruptura uteri conſtaret certo, non differendam eſſe, ſal-

va Aliorum opinione, Sectionem Cæsaream, censeo, eoque magis hanc licitam esse in hoc casu, quo vita matris, æque ac fetus, certius in tanto versatur discrimine, ut alio nullo modo possit servari. Si caput in pelvim impactum hæreret, Forceps, si vivi fetus aliæ partes præviæ forent, Versio in pedes, esset tentanda. Si constaret, de vita fetus jam actum esse, tum, prouti situs illius indicaret, vel invertendum esse fetum, & pedibus præviis excutiendum, vel Forcipe, aut Hamatili, capite prehenso, esse protrahendum, secundum Artis regulas. Præter aureum illud Celsi præceptum, „ anceps, nempe, remedium præ- „ stare semper nulli “, inducor aliis quoque causis, quæ mihi persuadent, illa Artis tentamina oportere omnino potius institui, quam miseram parturientem, suo cum fetu, indubitatæ morti relinqui: dantur enim observationes, quibus non levis affulget spes, fore, ut aliquando illæ operationes succedant: constat, scilicet, quamplurimis observationibus, uteri aperturas, per sectionem cæsaream, vulnera, ulcera, abscessus, aliove modo, factas, certam mortem non semper producere; neque patet, cur Ruptura recens magis foret lethalis; dantur, dein, historiæ ab Hildano, Pistore, Saviardo, Aliisque, descriptæ, testantes, post factam uteri Rupturam, aliquot dies supervixisse parturientes, quod etiam nostræ contigisse videtur; exstant, præterea, exempla, ubi versione fetus fuerint pro-

protracti, & nonnullos dies vitam continuaverint puerperæ, qualia duo descripsit cl. DE LA MOTTE (κ); confirmat, denique, nostram sententiam successus ille cl. RUNGII, qui retulit „ ægram feliciter reconvaluisse, educto „ fœtu, licet per rupturam uteri intestina mulieris manu „ perspicue tetigerit, eaque hac aliquamdiu, ne in uterum irruerent, donec hic se multum constrinxerit, re„ presserit (λ).

CAPUT IX.

Partus Naturalis a prævio permagno Vaginæ Sarcomate retardatus, hoc ablato, feliciter peractus; & Symptomatum Puerperii periculosissimorum sanatio.

§. I.

Ad Feminam primiparam, annorum triginta, mane a. d. VII Octobris CIƆIƆCCLX vocatus, ex obstetrice & adstantibus didici, parturientem, jam ultra viginti quatuor horas, passam fuisse dolores multos, atque violentos; aquam amnios lente & guttatim effluxisse, absque magna membranarum bulla formata; inde, ab hora hesterna vespertina sexta, accessisse profluvium sanguinis ex genitalibus,

(κ) *Traité compl. des Accouch. Obs. CCCXVI & CCCXVII.*
(λ) Conf. HEISTERI loc. cit. & CRANTZII L. c. §. XXVIII.

bus, idque ſatis copioſum hucusque continuari; hoc autem præcipue animos præſentium commovere, quod obſtetrix, quæ per omne partus tempus aſſeruerat, omnia recte procedere, ideoque faventem ſemper prognoſin formaverat, nunc aliam omnino rerum faciem prædicaret, quum in vagina loco capitis fetus, quod antea prævium putaverat, inveniret corpus aliquod peregrinum atque inſolitum, quod, num eſſet placenta prævia, an mola, an monſtroſi fetus reliquiæ, ignoraret.

§. II. Qua narratione audita, ad parturientem accedens, eam inveni ex diuturno & copioſo ſanguinis profluvio, atque lento & doloroſo partu, admodum debilitatam, inque vulgari ſedili hucusque, prouti peſſimus eſt obſtetricum mos, detentam, & ſummopere defatigatam; partes genitales ejus tumentes & doloroſas; abdomen quoque valde tumidum, & præ dolore attactum fere nullum ferre valens: maligna ceterum nulla erant ſymptomata. Tactu dein revera deprehendi, extra vaginam propendere Corpus carneum, ingens, capitis infantis recens nati fere magnitudinem æquans, glabrum, ſatisque durum & rotundæ figuræ, ut placentæ habitum præ ſe nequaquam ferret: quod porro apparuit ſanguinolentum, hinc inde nigricans, externe membrana quadam inveſtitum, per quam diſtributæ erant venæ magnæ, lividoque ſanguine turgidæ: lacerum quoque multis in locis erat hocce corpus

pus, propter præviam rudiorem & frequentiorem explorationem. Excrefcentiam itaque carneam, feu Sarcoma, Polypum vaginæ vulgo dictum, adeffe, nullus dubitavi, perque ulterius rei infolitæ examen clarius didici. Summa namque cum attentione molem iftam (quæ totum vaginæ finum adimplebat) examinans, intraque vaginam digitos mittens, detexi, illam verfus fuperiora fenfim fenfimque craffitie decrefcere, & piriformem terminari in pedunculum, fatis longum, unius fere pollicis cum dimidio diametrum habentem, qui anteriori parieti vaginæ, pone offa pubis, firmiter erat adnexus, fimiliterque, ac totum Sarcoma, hinc inde laceratus, & facile admittens, ut digiti ad totum ejus ambitum libere circumagi poffent. Ulterius demum explorando offendi in fuperiore vaginæ parte Caput fetus, fitu naturali prodiens, fimulque animadverti, illud a doloribus partus in pelvim deprimi, contra offa pubis adigi, iftumque pedunculum, imprimis eo tempore, quo dolores vigerent, ad ea fortiter apprimere, clare percepi.

§. III. Rite ponderatis hifce rerum momentis, præfentaneum maxime auxilium requirere parturientem noftram, res docebat atque ratio, fi refpiceretur partus diuturnitas, fanguinis copiofum profluvium, infignis corporis ejus debilitas, & vitæ fetus, fi hæc adhuc perduraret, periculum; omnium vero maxime hoc urgebat, quod,

quamdiu magnus ille polypus adesset, qui vaginam occluderet, tamdiu partus fieri non posset. Cogitanti itaque mihi de apta encheiresi, qua tolli posset ingens illud partus naturalis obstaculum, duplex præcipue animadversione digna visa fuit, scilicet, vel ligatura pedunculi, & sarcomatis infra illam separatio, vel pedunculi solutio, atque sarcomatis protractio, absque ligatura. Priorem curandi methodum, quam maxime indicare videbatur minor hæmorrhagiæ inde futuræ metus, amplexus fuissem, nisi obstitisset defectus apparatus necessarii in casu inopino, atque præcipiti; dein quoque ingens propendentis polypi moles, & partium genitalium sensilitas maxima, eam perdifficilem reddidissent; prætereaque ab ea metuendus fuisset major dolor, post partum quoque duraturus, & prava effecta excitaturus. Alteram curandi methodum, præsentaneo auxilio ferendo aptiorem, imprimis si prudenti contorsione pedunculi separatio Sarcomatis perageretur, duæ tamen difficultates me impediebant mox adhibere, nempe Dolor insignis a contorsione metuendus, & Hæmorrhagia ipsam sequutura. Utramque difficultatem animo volvens, quod ad Dolorem, concludi posse putavi, eum forte, propter pedunculi mollitiem, compressionem, & incipientem corruptionem, fore minorem; saltem majorem, quam a Ligatura, non futurum; & mox, post Sarcoma ablatum, cessaturum esse; imo liberum semper me, si excederet

deret nimis, in alia methodo amplectenda, futurum. Quod ad Hæmorrhagiam, sequentia ponderavi; 1º. Totum Polypum livescere, & hinc inde nigrescere, hincque eum, præcipue vero pedunculum ejus, caput fetus inter & ossa pubis compressum, variisque laciniis jam corruptum, vix statui posse pleno rivo sanguinem esse emissurum, tamquam jam fere emortuum: 2º. Contorsio prudenter instituta, videbatur hic idem factura esse, quod in vulneribus sclopetariis, inque partibus, contorsione avulsis, fieri, observationes chirurgicæ docent, scilicet contundendo vasa, eorumque orificia obturando, hæmorrhagiam parvam, aut nullam, produci: 3º. Magna spes erat fore, ut, ablato Sarcomate, Caput fetus doloribus propulsum, reliquam pedunculi partem, vaginæ adhærentem, se inter & ossa pubis interciperet, totoque partus reliquo tempore ita comprimeret, ut sanguinis coërceretur profluvium, sicque mortificatio, atque separatio, ejus potius promoveretur: 4º. Docuerant observationes VATERUM atque SLEVOGTIUM, talia Sarcomata abscissa ne quidem multum sanguinis effudisse, dum e contrario Ligaturam non levia, etiam post ablatum fungum, sequerentur mala (α). Quibus argumentis debite comparatis, ad separationem ejus Polypi, absque ligatura, faciendam inclinavi.

§. IV.

(α) Vid. VATERI Diss. *de Sarcomate e pudendo mul. sectione sublato*, Wittenb. 1728, §. XI, ut & in Casu dissertationi ei præmisso.

§. IV. Cum itaque convenientem & Ægræ, & mihi, curaveram corporis positionem, polypum istum, quam alte potui, arripui manus dextræ digitis, iisque, pedunculum ejus amplexis, protraxi; hunc dein prudenter & lente contorsi, assiduo attendens ad dolores, cavensque ne eos excitarem nimios: quum illos, qui aderant, commode satis ferre posset decumbens, eodem modo perrexi, atque, intra breve satis spatium, separatum a suo pedunculo Polypi corpus amovere potui: quod dein ponderavi, & libram unam cum dimidia æquare deprehendi: magnum sane Sarcoma, mihique etiam nunc in liquore spirituoso asservatum.

§. V. Successu optato haud caruit peracta Operatio: perdurantibus enim partus doloribus, post remotum illud obstaculum, Caput fetus mox ulterius in vaginam & pelvim descendit, & profluvium sanguinis non tantum non fuit sequutum copiosius, sed e contrario lentius, sensimque parcius, fluxit. Tumque, quia omnia ad Naturæ normam satis videbantur composita, jubebam defatigatam parturientem lectulo imponi & foveri, ut quiete, & forsan quoque somno, uteretur, viresque fractas recuperaret; utque res eo felicius procederet, mixturam confortantem, leniter adstringentem, & parum emmenagogam, quavis dimidia hora propinandam, præscripsi. Sic facta virium instauratione, auctisque sensim partus doloribus,

Ægra

Ægra me tunc absente, præcipiti dolorum incitamento, versus vesperam enixa est puerum mortuum, a cujus variis corporis locis manuum tractatione cuticula secedebat, id quod, non minus, quam totius infantis livor, atque intumescentia, jam ab aliquo tempore eum mortuum fuisse, declarabat. Secundinæ absque ullo labore fuerunt excussæ, & modicus tantum sanguinis fluxus partum sequutus fuit. Reliquias Pedunculi, mox post fetus exclusionem, sive sectione, sive alio modo, auferre absens non potueram, postque meum adventum illud dissuadebant puerperæ debilis status, hæmorrhagia forte sequutura, aliaque adversa symptomata metuenda.

§. VI. Status Ægræ post partum aliquot diebus fuit valde periculosus. Totum corpus erat summopere defatigatum, illaque imprimis conquerebatur de cruciatibus immanibus circa coccygis & lumborum regionem: aderat somni defectus: tumor ingens abdominis cavum supra pubem occupabat, & sanguinem in utero coagulatum indicabat: lochia post partum fere nulla fluebant, neque etiam durante toto puerperio prodierunt, ut & hinc certissime constaret, nullum sanguinem fundi a sarcomatis pedunculi vasis abruptis: humores aquosi, insignem fœtorem spirantes, copiosissimi e genitalibus profluebant, totumque fere lectum inundabant: accedebat urinæ incontinentia & ardor, cum magnis vesicæ tenesmis, indeque natis dolori-

bus: quibus ſymptomatibus, Ægram in ſummo vitæ diſcrimine verſari indicantibus, die quinto poſt partum ſuperveniebat ingens diarrhœa cum magnis torminibus, quæ finem tragœdiæ impoſitura videbatur. Omnibus hiſce malis, ad pejorem ſtatum redigendis, non parvam ſymbolam afferebat peſſima Perinæi fiſſura, in præcipiti violentoque partus nixu facta, tendens usque ad anum, cujus tamen ambitum non læſerat: quæ continuo immani cruciatu puerperam afficiebat, eoque magis ad ejus perniciem conferre poterat, quod imperita atque moroſa obſtetrix, licet me monente, illudque vitium ſuſpicante, ſemel iterumque partes externas, valde doloroſas, examinaſſet, aut occultaverat iſtam læſionem, aut ſaltem neglexerat; recte enim eas ſe habere audacter aſſeruerat: non mirum itaque, quod præ continuo huc affluentibus fœtidis humoribus, recens illud vulnus tumorem atque inflammationem contraxerat, magnosque illos cruciatus fecerat, qui me ipſum ad examen accuratius incitabant, ſummumque gangrænæ, & inteſtini recti læſionis, cujus indicia jam exſtabant, metum injiciebant. Teterrima inter iſta ſymptomata, unicum adhuc bonæ notæ ſignum aliqua ſpe animum excitabat, febris ſcilicet validæ abſentia, quæ ſi adfuiſſet, vires tollendo, atque uteri inflammationem incitando, brevi ad plures dimiſiſſet puerperam.

§. VII. Medicamina ex Artis regulis propinata, pro varie-

rietate ſymptomatum varia, naturæ viribus adjuta, ſtatum Ægræ noſtræ periculoſiſſimum, paucos intra dies, ita commutarunt, ut ſanationis ſpes non exigua affulgeret. Externorum ope cataplasmatum emollientium abdominis tormina atque dolores mitigavi, & tumorem ejus ſenſim evanidum reddidi, quin tamen ullus lochiorum fluxus, aut coagulati ſanguinis expulſio, ſequeretur. Antiſeptica, depurantia, balſamica, ſedulo ad partem affectam applicata, perinæi fiſſuram feliciter perſanarunt. Variis adhuc ſymptomatibus vexata puerpera, tandem ea ſuperavit, & convaleſcere cœpit: ſexta hebdomade urinam perfecte retinere potuit, atque porro plane cum ſanitate in gratiam rediit, hoc tempore ſaniſſima adhucdum vivens, deque nullo, ex ſuo puerperio ſuperſtite, malo unquam querens: in eo autem voto meo ſemper renuens, quod nunquam voluerit dein mihi permittere explorationem, viſuro quidnam de pedunculo abrupto in vagina ſupereſſet, aut de ipſo eſſet factum poſt operationem.

§. VIII. Nullum dubium eſt, quin ſanationem in hiſce rerum anguſtiis maxime effecerit ingens illa Diarrhœa, inde veriſimiliter orta, quod coagulatus intra uterum ſanguis attenuantium, atque emollientium, ope diſſolutus, a vaſis reſorbentibus in viam circulationis delatus, & critica evacuatione ad alvum depoſitus, fuerit: licet negandum mihi non videatur, copioſiſſimum illud aquæ fœtidæ

profluvium (§. VI) ſuam quoque ſymbolam eo contuliſſe. Periculoſiſſimum puerperii ſymptoma quamvis merito habeatur iſta Diarrhœa, non ſemper tamen deſperatam prognoſin, in graviſſimis quoque conditionibus, exin petendam eſſe, docet expoſita morbi hiſtoria, imprimis, ſi Lochiorum deficientium vices ſuppleat. Neque tamen talia Naturæ ſalutaria conamina ſemper ex voto ſuccedere, inter alios me docuit ſequens caſus, quem liceat mihi hic apponere, tum quia nonnulla cum præcedenti habet ſimilia puerperii ſymptomata, tum propter ſingulares, quæ me movent, rationes. Anno ſcilicet hujus ſæculi quinquageſimo ſeptimo nobilis quædam in hac urbe Matrona, plurium infantum fecunda mater, variis prægreſſis antea morbis, maxime autem labe phthiſica, corpus ſuum magnopere debilitata, ſagacis tamen atque expertiſſimi Medici auxilio multum ſuſtentata, poſtquam gravida denuo facta erat, ad octavum geſtationis menſem cum perveniſſet, magnoque frigori ſe expoſuiſſet, ſubito tanta corripiebatur uteri hæmorrhagia, ut præſtantiſſimis remediis fruſtra adhibitis, atque perdurante fluxu ſubortis convulſionibus & animi deliquio, ego in conſilium vocatus nullus dubitaverim (neque aliter Medicus ille judicabat) unicum adhibendum eſſe, quod ſupererat, remedium, Fetus nempe per pedes protractionem. Quo breviter atque feliciſſime a me peracto, ſenſim ad ſe rediit puerpera, & tam bene ſequenti poſt

illum

illum partum die ſe habebat, ut optimi ſucceſſus egregia ſpes daretur: aſt dein debitum negligens regimen, animique & corporis moderamini haud ſatis indulgens, incidit in lochiorum obſtructionem, febrim, uteri inflammationem, cum inſigni duroque abdominis tumore, ſupra regionem pubis elevato, cum manifeſtis accumulati ſanguinis coagulati indiciis, quem per orificium uteri foras educere impediebat violenta ejus conſtrictio. Internis, externisque, medicaminibus efficiebatur quidem, ut febris minus valida eſſet, illudque coagulum reſolveretur, ſicque abdominis tumor diſpareret fere omnis, ſed, quum nihilominus nulla ſequeretur lochiorum evacuatio, ſanguis iſte dilutus intra maſſam circulantem reſorptione deferebatur: hunc vero aut ferendo, aut ſubigendo, impar Natura, novam accendebat febrim, eumque partim, facta metaſtaſi, deponebat ad genu ſiniſtrum, ubi ingentem tumorem, durum, tenſum, dolentem excitabat, partim ad cerebrum propellebat, tanto cum febris incremento, delirio, aliisque peſſimis ſymptomatibus, ut, licet dein ſalutarem magis metaſtaſin & evacuationem per Diarrhœam moliretur, debile tamen corpus, decimo nono poſt partum die, ſymptomatum violentiæ ſuccumberet.

CAPUT X.

Hæmorrhagia uterina diuturna Gravidæ, a Placentæ nexu ad orificium uteri orta, periculosissimis symptomatibus stipata, extractione Fetus, salva matre, sanata.

§. I.

Femina triginta septem circiter annorum, valde debilis, utpote quæ, præter multifarias animi ægritudines, plures ediderat partus, nec non septem jam passa fuerat abortus, denuo gravida facta, cum mensem fere quartum attigisset, in varias incidit affectiones, adversus quas, postquam varia remedia frustra tentaverat, currente mense Februario CIƆIƆCCLVII, meum quærebat auxilium, quod minus ordinate ipsi ferre me non posse dolebam, quum sex fere horis ab hac urbe distaret pagus, in quo habitabat. Querebatur nempe imprimis de *Fluxu uterino* continuo, & valde copioso, cum dilatatione ipsius orificii uteri, quæ nunc erat major, nunc minor, quandoque etiam nulla apparebat, accedentibus præterea aliis incommodis, insigne periculum vitæ indicantibus, qualia præcedentes suos abortus prægressa fuisse, experta olim fuerat: comitabantur enim istam Hæmorrhagiam summa corporis debilitas, febris, nausea continua, vomitus omnia,

quæ

quæ ingerebat, e ventriculo expellens, anxietates, flatus, ructus, passiones hystericæ, animi quoque deliquia: dum inter omnia hæc symptomata nihilominus Fetus vitam perdurare, ex perceptis ejus motibus in utero Ægra assereret.

§. II. Quum, tanta distantia ab Ægra remoto, veram hæmorrhagiæ causam dignoscere mihi non liceret, ad causas prægressas, corporis debilitatem, animi commotiones, aliasque conditiones, respiciens, solutamque placentæ portionem pro causa fluxus sanguinis habens, adversus memorata symptomata præscribebam medicamenta corroborantia, leviter adstringentia & anodyna, quorum basin, evitatis stimulantibus, nimium spirituosis, atque calidis, constituebat Cortex Peruvianus: simulque epithematibus cardiacis, aromaticis, vinosis, externe ventriculi regioni, & præcordiis, applicatis, nauseam vomitumque corrigere, hocque modo alimentorum & medicamentorum retentionem restituere, tentabam, ea spe, fore, ut mihi contingeret esse adeo felici, in hac quoque Ægra successum adeo faustum videre, qualem in aliis, simili hæmorrhagia laborantibus, hac methodo medendi usus, fueram expertus. Effecerunt revera dicta remedia, ut ultra tres hebdomadas melius sese haberet Ægra, mente constaret, ejusque vires corporis conservarentur, quamvis tamen interea modo hoc, modo alio, symptomate vexaretur, redeunte etiam

etiam ſæpius ſanguinis profluvio, licet minus copioſo. Hæc præcipua fuit cauſa, quod, a. d. XXIV Februarii denuo conſilium meum rogatus, omnem præveniendi abortus ſpem amitterem, ſummaque perſpecta corporis debilitate, parum exſpectarem a Naturæ ſolius operatione, in expellendo fetu tam magno, absque ingenti vitæ matris diſcrimine, adeoque conſulerem, ut, quamprimum orificii, mollis jamjam facti, fieret dilatatio, & partum Artis auxilio abſolvendi naſceretur occaſio, obſtetrix quantocius protraheret Fetum.

§. III. Continuato interim præſcriptorum medicamentorum uſu, protracta res eſt ad d. IX Martii, quo redibat Hæmorrhagia uteri cum magno impetu, atque ingenti dolore, expulſis ſimul multis coagulati ſanguinis grumis: debilitas, febris, nauſea, anxietas, deliquia, omnia in pejus ruebant: arceſſita obſtetrix, quæ extremum Artis auxilium decumbenti eſſet præſtitura, cum rerum conditionem exploraviſſet, aſſerebat, ſe nullam orificii aperturam detegere, neque matrem a ſuo fetu liberare poſſe hujus protractione; fidem præterea ſuam apud Ægram & Adſtantes, oppoſitis plane ſtatus morbi expoſitionibus, diminuebat, tandemque plane perdebat. Inſequenti biduo ſymptomata, a dictis morbi conditionibus individua, decumbentem afficere pergebant: ſanguinis interim profluvium iterum diminui, & dein ceſſare; augeri tamen fe-

febris, debilitas, anxietas, deliquia; vomitus omnia ingesta expellere; Ægra denique quævis medicamina respuere, imo fastidire.

§. IV. In hisce rerum angustiis ad me accessit Frater ejus, atque enixe rogavit, ut ipse suæ sorori opem ferre vellem: cui petitioni ut annuerem facilis, urgebat tristissimus Ægræ status, atque amicitia, quæ illum inter & me intercedebat. A. d. itaque XII Martii vespera versus horam sextam ad illam perveni, eamque deprehendi valde febricitantem, maxime debilem, & eo magis prostratam, quod prægressa nocte somno nullo fuerat refecta; sitim patiebatur immanem; arida cutis nulli sudori transitum concedebat; pulsus erat debilissimus; linguam obsidebat crusta densa & tenax; anxietas aderat continua, cum tanta nausea, ut alimenta, aut medicamina, ingesta illico vomitu rejiceret: inter omnia autem hæc symptomata nullum hoc tempore sanguinis profluvium adesse, testabatur. Explorationem manu instituens, inveni partes externas dolentes; vaginam interius satis mollem, & glabra humiditate perfusam; orificium uteri valde altum habens situm, & tactu vix percipiendum, nisi post duos tresve in sinum immissos digitos; quo facto distinctius explorandi nactus occasionem, offendi os tincæ tumidum, atque admodum molle, cum aliqua, attamen adeo parva, ut ægre capere posset digiti indicis apicem,

dilatatione, quam replere percipiebam Corpus quoddam molle, sanguine coagulato aliquanto densius: levi ulterius opera hanc aperturam ita poteram dilatare, ut, apicibus digitorum indicis & medii immissis, apte possem examinare corporis istius mollis habitum, & ex eo concludere, *Placentæ, orificio interne adnexæ, portionem solutam*, præviam, hæmorrhagiæ prægressæ veram esse causam: statum porro orificii uterini reperiebam talem, ut absque magna difficultate ulteriorem ipsius expansionem fieri posse præviderem; nihil vero de Fetu, ejusve situ, quamvis jam quintum attigisset mensem, notare valebam. Peracta exploratione digitis adhærebat multum tenacis muci, nec non filamenta aliquot sanguinis coagulati, licet ceteroquin nulla hæmorrhagiae præsentis adesset nota.

§. V. Exposita symptomata & signa attente ponderanti, facile quidem mihi erat perspicere, præsentaneum auxilium exigere nostram decumbentem, neque soli Naturæ id negotium committi posse tuto, ast potius quantocius partum manu absolvendum esse; ne certo moreretur ægra, & solum, quod superesse videbatur, remedium negligeretur. Varia erant argumenta, hancce conclusionem mihi dictantia: 1°. Placenta suam adhæsionem habente ad orificium uteri, ejusque portione jam soluta & corrupta, nec non dilatato tantopere ore tincæ, non posset fieri, ut ad nonum mensem retineretur Fetus in utero. 2°. Ægra, ad

ad fummam debilitatem redacta, fingulis diebus mortis evidenti periculo maneret expofita; imo fi memoratum terminum vel attingeret, non poffet tamen partum eniti absque hæmorrhagia valida, aliisque fymptomatibus maximopere periculofis. 3°. Ægræ difpofitio ad abortum, quæ folet altiffime, in feminis abortum fæpius perpeffis, fuas figere radices, nullam in hifce morbi conditionibus fpem relinquere videbatur, fore, ut absque ulteriore placentæ folutione, ad finem graviditatis mater cum fetu fuo perveniret. 4°. Maxima debilitas indicabat, Naturam folam non fufficere ad expellendum fetum, qui jam adeo provectus effet; vetabatque profluvii fanguinis metus illam ope remediorum ftimulantium & emmenagogorum incitare ad officium fuum. Hæc itaque efficiebant, ut ancipitem opem præferens nulli, confilium meum Fetum protinus in lucem producendi cum ipfa decumbente, ejusque confanguineis, communicaverim, fimul hifce indicans maximum illius operationis periculum, & fucceffus incertitudinem, quæque reliqua ad juftam fpectabant prognofin.

§. VI. Omnibus itaque confilio meo annuentibus, mox commodum parturienti fitum Ægræ conciliavi, eaque cardiaco quodam fuftentata, manum dextram in finum illius immittebam, tumque leni prudentique opera eo usque dilatabam uteri orificium, ut ftatim duos, deinceps omnes fimul, digitos, ipfi inferere, & fatis commode ulterio-

 rio-

riorem ejus aperturam, absque validis doloribus, perficere possem. Interim haud liberam hoc tempore a spasmodica affectione esse decumbentem, docere videbatur orificii uterini contractio tam magna, ut integram meam manum immittere non valerem; cui simul aderat tam valida partium externarum constrictio, ut inde operanti manui insignis induceretur defatigatio, vix nisi a sphinctere, aut musculo constrictore, vaginæ, spastice affecto, derivanda: quæ, quantum sæpe in laboriosis & diuturnis operationibus obstetriciis, præcipue in fetuum inversionibus peragendis, operanti sit molesta & nociva, expertos harum rerum haud latere poterit. Immissi digiti certiorem me reddebant de adhæsione Placentæ ad internam orificii, & segmenti inferioris, uteri superficiem, facileque nunc per corpus hocce molliusculum, & ovi membranas, distinguere poteram Fetum, in aqua fluctuantem, suoque capite deorsum (α) vergentem, versus suæ matris latus dextrum. Soluta porro placenta, facile mihi erat membranas ovi pertundere, manuique aditum intra cavum ejus parare: quum vero interea, vel propriis viribus, vel motibus maternis, circumvolutum deprehenderem Fetum, offendi pedem ipsius una cum effluentibus aquis, per factam membranarum aperturam, prodeuntem: quo apprehenso, pro-

(α) Conf. supra pag. 115.

protrahebam mox, atque facili opera, Puellam abortivam, quæ quintum menſem cum dimidio circiter attigerat. Secundinæ facile ſequebantur protractum fetum. Manus denuo immiſſa, cum inſignes coagulati ſanguinis grumos foras eduxiſſet, atque ſubſtantiæ uteri bonam conſtrictionem, & cavi ejus occluſionem, fieri percepiſſet, feliciſſime & intra breve temporis ſpatium abſolvebatur partus.

§. VII. Quæ in ipſo partu peragendo bona mente valuerat, & corpore ſuo commode Artis moleſtias tulerat, nec non poſt extractionem fetus ſatis bene per ſemi circiter horam ſe habuerat, puerpera, deinceps correpta fuit animi deliquiis, cum ſumma præcordiorum anxietate, reſpiratione difficillima, horripilatione, tremore, frigore, oculorum nictitatione tremula, labiorum motu ſpasmodico, frigido ſudore, pulſu contracto & debiliſſimo, aliisque ſymptomatibus, totidem fere mortis, fores jamjam pulſantis, nunciis. Exhibitis autem medicaminibus nonnullis cardiacis & roborantibus; applicitis etiam externe ad loca corporis maxime bibula refocillantibus, vinoſis, aromaticis; frigore quoque diſcuſſo per calidas fomentationes; factum fuit, ut felici non minus, quam inexſpectato, ſucceſſu, morti, quæ inevitabilis videbatur omnibus, eriperetur noſtra ægra, atque poſtea adeo faventem ſibi Naturam atque Artem fuerit experta, ut ſatis brevi

tempore a puerperio reconvaluerit, imo ſanitatem meliorem, quam antea, adepta fuerit, &, in hunc usque diem recte valens, ſæpius mihi propter ſuam gratitudinem, nec non egregium Artis ſucceſſum, perjucundum præbuerit ſpectaculum.

§. VIII. Cauſam ſingularem hæmorrhagiæ uteri, puerperis, æque ac gravidis, toties funeſtæ, aut ſaltem periculoſiſſimæ, exhibet præmiſſa hiſtoria, quæ quando practicas obſervationes, & variorum Obſtetricantium libros intueor, multo majoris momenti habenda, quam plerisque factum fuit, mihi videtur, & in Fluxibus uteri ſanguinis longe frequentior eſſe, quam vulgo a Medicis attendi ſolet, imprimis illis, qui Artis obſtetriciæ praxin haud excolunt, & imbuti ſunt falſo iſto, quod fundum uteri docet eſſe perpetuam placentæ ſedem, præcepto, tanto difficilius ex eorum animis excutiendo, quanto majore auctoritate polleant iſti Opinioni faventes Magiſtri: dum interim illa manifeſto refutatur multis ſummorum Virorum obſervationibus (β), quæ demonſtrant, nullam dari ſuperficiei internæ

(β) Summus Anatomicorum B. S. ALBINUS vidit eam ad parietem poſteriorem adhærere, Tab. Ut. Grav. IV, VI, & VII; ALEX. MONRO ſenior, in quinque gravidis illam uteri parti anteriori memoravit adnexam, *Medical Eſſays and Obſerv. &c. Vol. II, Art. IX*, pag. 108. edit. IV; VATERUS parti poſteriori adnexionis locum delineavit in Tabula Diſſ. *de Utero Gravido* &c. quæ occurrit in clar. HALLERI Collect. Anat. T. V, pag. 261; SMELLIE parti poſteriori, Tab. VI, fig. II; parti poſteriori & inferiori, Tab. VIII; poſteriori ſuperiori, Tab. IX; & parti laterali dextræ, Tab. XI; ROEDERER parti inferiori poſteriori, Icon. ut. hum. Tab. III; ANT. DE HAEN lateri dextro, Rat. Med. part. VI, Cap. I, §. VIII. Conferri maxime hic debet cl. P. A. BOEHMERI Diſſ. pag. 112.

næ uteri plagam, cui aliquando adnexa non inveniatur placenta, uti propria experientia mihi ſæpius etiam confirmavit (γ): imo, ſicuti in noſtro caſu (ut & in obſervatione §. IX exponenda) ipſi orificio uteri inſidebat, ita quoque Aliorum obſervationes idem teſtantur (δ). Quæ placentæ ſedes ſi locum habeat, non poſſe non fieri uteri hæmorrhagiam durante graviditate, aut imprimis appropinquante & vigente partu, ſemperque exinde in ſummum vitæ periculum Matrem ſimul cum Fetu deduci, nemo inſicias ire poterit, qui fabricæ partium, atque modi, quo Natura in fetu excludendo operatur, cognitionem tantum leviorem acquiſiverit. Inſigni itaque laude afficiendus eſt clar. LEVRET, quod ſingulari ſtudio hanc materiem elaboraverit (ε), ſicque cauſam mortis minus, quam oportebat, perſpectam, in aprico poſuerit, ſed & aptam indicaverit methodum, quam Medici atque Obſtetricantes in ſimilibus

112. citata, ut liceat mihi multis Aliorum exemplis recenſendis ſuperſedere.

(γ) Vid. quæ ſuperius ſcripta ſunt pag. 93, 102, 130, & in Cap. XI hiſtoria dicentur.

(δ) Funeſtum exemplum ex cadavere feminæ, in partu mortuæ, deſcripſit cl. PETIT, *Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. Ann.* 1723, *pag.* 38. Varia alia indicavit cl. HALLER in Not. ad Præl. BOERHAV. Tom. V, Part. II, pag. 234. Aliud habet ROEDERER l. c. pag. 32, not. 6, ubi & ſimiles Aliorum obſervationes citavit; nec non cl. LEVRET, qui de induſtria rem hanc ſingulari Capite tractavit, *Suite des Obſerv. Art. II, Sect. III*; nec non J. D. E. BRUNNERI Diſſ. *de Partu prætern. ob ſitum Placentæ ſup. Orif. int. uteri*, Argent. 1730.

(ε) Non tantum loco mox indicato, ſed imprimis in Commentario peculiari, qui occurrit in Supplemento Operum Ejus, edito cum Libro, cui titulus eſt, *l'Art des Accouchemens demontré par des principes de Phyſique & de Mechanique, Art. IX, pag.* 342. *II Ed. a Paris* 1761.

bus rerum conditionibus ſequantur, ut ſuas ægras a morte liberent; quemadmodum luculento exemplo noſtra evincit obſervatio.

§. IX. Quam neceſſarium eſſet Medico, & generi humano ſalutare, ut cauſa illa, quoties præſens eſt, ab Obſtetricante recte dignoſceretur, eaque cognita requiſitæ methodo curandi viam ſterneret, me docuit eodem anno triſtiſſima alterius partus hiſtoria, lethali omnino eventu ſtipata, quia imperita obſtetrix periculi cauſam ignoraverat, & Medicus parturientis perverſa narratione illius inſtructus fuerit, neque, Artis obſtetriciæ ignarus, calluerit ipſe rei ſtatum explorare: quam plerorumque Practicorum ſortem, ſatis nunquam dolendam, eſſe cenſeo, multisque exemplis confirmare poſſem, niſi invidiam & odium veritatis ſobolem eſſe, probe mihi eſſet perſpectum. Femina nempe quædam prima vice gravida, circa finem termini geſtationis corripiebatur *Fluxu uterino*, in principio non admodum valido, & per trium circiter hebdomadarum ſpatium lento quidem & interrupto, aſt tandem immaniter aucto, ut, præter obſtetricem, Medicum quoque ſuum practicum in auxilium vocaret: cum immodicus iſte fluxus per tres integros dies jam perduraverat, duæque venæ ſectiones, Medico jubente, inſtitutæ fuerant; præterque has etiam calida & ſpirituoſa medicamina ſanguinis torrentem adauxerant potius, quam temperaverant, aut

aut cohibuerant; factum fuit, ut in summam debilitatem, deliquium animi, imo fere in agonem mortis, redacta Ægra, meum quoque imploraret auxilium. Præter memorata, quæ antea acta fuisse mihi narrabant Adstantes & obstetrix, hanc interrogavi de statu orificii uterini: respondit, se nullam illius aperturam exploratione detexisse, neque ullam dolorum speciem, aut partus instantis verisimile signum, adesse, adeoque rem Naturæ committendam esse, sibi videri: ego vero, ab Obstetricibus fere omnibus falli solitus, adeoque necessitatem admovendi propriam manum tristi experientia edoctus, ipse potius explorationem mox institui, & inveni orificium uteri admodum molle & lubricum, ita quidem apertum, ut diameter ejus, ad minimum, pollicem unum cum dimidio æquaret, & ulterius facile dilatabile esset. In hac apertura occurrebat *Placentæ præviæ portio* insignis, simul cum Funiculo umbilicali usque in vaginam prolapso. Fetum in utero (ex quo aqua effluxerat, nescio quo tempore) situ transverso locatum esse, atque abdomen ejus ad orificium dilatatum esse positum, ulteriore examine didici. Nullum itaque dubium erat in hac gravida, quin Placenta orificio uteri interne adnexa, versus finem graviditatis soluta, teterrimae istius hæmorrhagiæ causa fuerit: certum erat, situm perversum fetus talem esse, ut impossibilem redderet partum naturalem: neque minus verum videbatur, lon-

gam profluvii ſanguinis durationem, venæ ſectiones, calida adhibita, in ſummum illud periculum, in quo jam verſabatur, miſeram noſtram præcipitaſſe. Ingenti cum animi dolore miſeratus ſortem amabilis Sexus, imperitis adeo obſtetricibus ſeſe committentis, atque ſpeciatim diſcrimine plenam decumbentis conditionem contemplatus; in ſumma rerum hac neceſſitate concluſi, nullam Artis opem ſupereſſe, niſi in momentanea fetus inverſione & extractione: aſt ſimul facile perſpexi, maximum moriendi periculum comitari illud auxilii genus, neque mirum fore, ſi inter ipſa operationis molimina ad plures abiret parturiens debiliſſima, & perdurante ſanguinis profluvio perpetuo affecta. Dubia tamen ſpes quum certæ deſperationi eſſet præferenda, & conſilio meo robur adderet ſucceſſus præcedentis Obſervationis, paucos ante menſes factæ, Conſanguineis totam rem indicavi, ſimul cum periculi ſummi prognoſi. Hiſce ergo, æque ac ipſa Ægra, unicam ſpem facile amplectentibus, absque multa opera, & intra breve ſatis temporis ſpatium, fetus in lucem eductus fuit: verum non diu poſt peractum partum incidit puerpera in animi deliquium, horrorem, frigus, tremores, ſudorem frigidum, convulſiones, aliaque lethifera ſymptomata, poſt horam elapſam vitæ ejus finem imponentia: quæ probabiliter ſalvari potuiſſet, ſi, a principio erumpentis fluxus uterini, veram illius cauſam,

ſam, & perverſum fetus ſitum, cognoviſſent Obſtetrix & Medicus, indeque indicatam inſtituiſſent curandi methodum. Haud abſimilem obſervationem exhibuit cl. SMELLIE (ζ).

CAPUT XI.

Situs uteri obliquus Partus difficilis, & periculoſiſſimi, cauſa: Placentæ Incarceratio in ſingulari uteri Sacco: de incertitudine Signi, quo, ex Motu Fetus, vitam ejus perſiſtere, creditur: aliæque, eo ſpectantes, Obſervationes.

§. I.

Militis uxor pauperrima a. d. II Januarii CIƆIƆCCLVI difficillime parturiens, meum rogabat auxilium: varios antea partus enixa fuerat feliciter; uteri tamen procidentia laborabat, quam peſſario ſuſtinere ſolebat; durante geſtatione litigioſam cum ſuo marito degerat vitam; atque Matris ſuæ graviſſimo morbo in majorem pauperiem, triſtitiamque, deducta nunc erat. Cum ad illam advocarer, quinque parturierat dies: primo die jam effluxerat aqua amnios, inſequen-

(ζ) *Collect. of Caſ. and Obſ. in Midwif. Coll. XXXIII, N. II, Caſ. III, pag.* 141. Hic in eodem Libro multa protulit exempla Placentæ ad Orificium adnexæ, uti Collect. XVIII, N. III, C. IV, V, VI, VII & VIII; Coll. XXXIII, N. II, C. V, VIII, X, XI, XIV & XVI; & Coll. XXXIX, N. I, C. I, II & III.

quente ejus effluxum dolorum tarditate, inertia, & sufflaminatione: unde solitis tardi, atque difficilis, partus symptomatibus afflicta, variis quoque gravium convulsionum paroxysmis correpta, in summum vitæ periculum redacta erat.

§. II. Sedulo dein ego inquirens in conditiones singulas, quæ ipsam spectabant partus difficultatem, deprehendi uterum, cum suo Fetu, *obliquo*, & plane præternaturali, *Situ*, latus abdominis ejus sinistrum occupare: abdomen valde tumidum, durum, tensum, & adeo dolorosum, ut leniter tantummodo ei imposita manus maximos cruciatus parturienti produceret: genitalia externa, propter incongruam & frequentiorem explorationem, pro more dolebant, turgebantque. Tactus docebat, orificium uteri sufficienter quidem esse dilatatum, ast marginem ejus sinistrum inter cavi pelvis parietem & caput fetus, laxum & elongatum, propendere. Caput Fetus, quamvis satis profunde in vaginam descendisset, ex obliqua positione uteri, non minus a statu naturali alienum acquisiverat situm, qui accedebat ad transversum, ita ut Auriculæ ejus respicerent os sacrum & pubem matris, tota tamen Facies sinistrorsum magis & ad pelvis anteriorem partem, quam ad posteriorem, aut inferiorem, esset conversa. In dextro pelvis latere juxta caput dependebat prolapsus Funis umbilicalis, quem una quoque Manus fetus comitabatur: funis adeo compressus erat, ut facile fetus mor-

tem

tem inde fuſpicarer: & revera ille nullam amplius exhibebat pulſationem. Liquor fœtidiſſimus continuo ex genitalibus ſtillabat, & peſſima mephiti nares feriebat. Faſtidia, nauſeæ, vomitus, anxietates, deliquia, ægram perpetuo invadebant: tormina & tenesmi moleſtiſſimi locum occupabant dolorum: nihilominus aſſerebat parturiens, ſe præterito die ſui Fetus Motus in utero diſtincte adhuc percepiſſe.

§. III. De neceſſitate auxilium ſubitaneum iſti Feminæ ferendi, ut & de morte Fetus, perſuaſiſſimus, absque ulteriore temporis diſpendio, mox convenientem poſitionem parturienti dedi, &, quo melius matri parcere poſſem, aperui caput fetus, ut, evacuato cerebro, absque magna opera & multo dolore perageretur partus: nimis enim alte illud intra pelvim deſcenderat, nimisque diu jam effluxerant humores, quam ut ab Inverſione fetus auxilium quæſiviſſem: Forcipis quoque applicatio, in eodem volumine relinquens caput, genitalibus partibus haud parvam adducere potuiſſet læſionem. Quamprimum ex capite extractum erat cerebrum, ejusque oſſa complicari poterant, lege Artis feliciter eduxi infantem procerum, cui tota fere epidermis a corpuſculo ſecedebat, quique ſumma putrefactione, & fœtore intolerabili, ſatis ſuperque teſtabatur, matrem fuiſſe deceptam in eo, quod pridie ex motu percepto vitam ejus adhuc perdurare aſſeruiſſet. Poſt

Fetus extractionem, majorem difficultatem excitabat Placentæ ſolutio: non tantum, propter ſecundinarum corruptionem, qua fiebat, ut leviſſimo conamine adhibito funiculus disrumperetur; aut quod parti laterali dextræ, verſus anteriorem uteri regionem, adnecteretur, quam adhæſionem operanti ſemper multum negotii faceſſere, experti harum rerum norunt; ſed maxime, quod tota placenta incluſa eſſet *Sacco peculiari uteri*, ab hujus irregulari conſtrictione orto, in cavum uteri patente ſua apertura, per quam funiculi umbilicalis rupti pars propendebat. Dilatatione illius ſacci, atque placentæ ſolutione, prudenter peracta, eductis ſecundinis, feliciter ſuccedebat totum partus negotium.

§. IV. Symptomatum prægreſſorum indoles atque violentia, laborioſa placentæ ſolutio, fetus & ſecundinarum corruptio & fœtor, infectio totius corporis puerperæ ab iſta putredine, aliaque ſigna, prognoſin mihi dictabant periculoſiſſimam. Transegit revera quatuor dies in maximo vitæ diſcrimine, quod augebant inſigniter lochiorum ſuppreſſio, & fortiſſima ventris tormina. Sanguinis coagulati ingentia fruſta, dejecta ex utero, primum aliquod levamen attulerunt: multum dein ad ſymptomata mitiganda conduxit excretio Lumbrici teretis, magni, qui forſan non immerito convulſionum, partum prægreſſarum, cauſa haberi poteſt: adhibitis porro ad Artis normam internis exter-

ternisque remediis, ad varias indicationes directis, tam feliciter scena fuit mutata, tamque subito ad pristinam sanitatem rediit Ægra, ut ante elapsam post partum suum quartam hebdomadam, me convenerit ad gratias agendas pro allato auxilio, atque hodienum sanissima inter mortales superstes, nulli malo, nisi pristinæ uteri procidentiæ, obnoxia vivat.

§. V. Duo imprimis momenta, præter Obliquitatem uteri, hujusque efficaciam in partu perturbando, in exposita observatione consideranda, mentem meam fixius detinuerunt: erronea, scilicet, ista parturientis conclusio de perdurante vita fetus, ex eo, quod motum ejus pridie distincte percepisset; nec non, singularis illa placentæ incarceratio. De singulis, quum & aliæ nonnullæ observationes Adversariis meis contineantur, liceat mihi pauca hac occasione addere.

§. VI. Quod prius attinet: notandum esse censeo, Obstetricantibus in nulla fere Artis parte adimplenda aquam magis hærere, quam in certis adducendis signis, quæ Fetum in utero vivum, an mortuum, esse declarent, præcipue ubi in partu caput ejus prævium offendunt: quæ quidem difficultas & incertitudo tanta est, ut non solum obstetrices, sed vel magni et prudentes Artis obstetriciæ Magistri non raro in sua prognosi fallantur, ubi de vita fetus dignoscenda agitur, uti hoc unius cl. DE LA MOTTE exem-

exemplum facile docet, qui, licet vir prudens, suæque artis peritissimus, imo etiam alterius Magistri consilio munitus esset, fetum tamen etiamnum viventem instar mortui tractavit, eique, mortuo sibi putato, caput aperuit; ut et alio tempore fetum, quem certo mortuum esse judicaverat, vivum in lucem prodire vidit (α). Non opus est plerorumque, quæ adduci solent, signorum incertitudinem, quæ palam constat, hic exponere: sufficiat annotasse, ne illa quidem, quæ tamquam certissima multis haberi solent, haud adeo firmo niti talo, ac vulgo creditur. Quod nempe ab omni incertitudine liberum haberi illud quoque non possit, quod ex epidermide, a capitis cute secedente, ad mortem fetus statuendam, plerisque perhibetur, docet cl. Chirurgi SAVIARDI observatio (β), summi quoque B. S. ALBINI auctoritate corroborata (γ): omnibus, quibus sacra hæc tractare datum est, satis constat, quantum erroris hic causare possint repetitæ nimis explorationes, & capitum tenellorum rudiores tractationes. Solent nimia etiam confidentia, tamquam ad sacram anchoram, cum ipso vulgo & obstetricibus, refugere Medici ad Motum Fetus a matre enitente percipiendum, eoque signo quasi tutissimi ex ejus præsentia, aut absentia, vitam fetus, vel mortem ejus, di-

(α) *Traité compl. des Accouch. Obs. CCCXLV, CCCXLVI, & CCCLXVI.*
(β) *Nouv. Rec. d' observ. Chirurg. Obs. XCVII., pag. 406.*
(γ) Acad. Annot. Libr. I, Cap. I, pag. 19.

dijudicare, male memores, uti illa multoties ſua ſpecie nos fallit, ita hanc non minus frequenter erroneæ concluſioni anſam ſuppeditare.

§. VII. Motum Fetus a Matre non perceptum incertiſſimum mortis ejus indicium præbere, quilibet facile perſpiciet, qui intellexerit, quam arcte, poſt humorum effluxum, uterus conſtrictus tenella fetus membra coërceat, hujusque corpusculum undique comprimatur, & caput in pelvis cavum adigatur: debilitas fetus non minorem ſæpe ſymbolam eo confert: unde mirum non eſt, non ſolum DE LA MOTTE (teſtante citata Obſervatione ejus CCCXLV), ſed & Alios, in prognoſi ſua fuiſſe deceptos, cum parturientes, ſe ſuorum fetuum commotiones ſentire, negarent. Ipſe didici ex multis obſervationibus, peſſime me acturum, ſi ex illo ſigno mortem fetus certo concluderem: inter plurimorum partuum naturalium hiſtorias unam invenio notatam, in qua femina puellum vivum enixa fuit, quamvis per triginta horas fetus ſui motitationes non percepiſſet, eumque mortuum jam longo tempore eſſe, æque ac obſtetrix, ſibi perſuaſum habuiſſet. Inter partus difficiles; quibus manu auxilium ferre debui, tres in ſchedis meis invenio huc ſpectantes obſervationes, in quibus, cum variis abhinc horis jam effluxiſſet cum aqua meconium, & præterea defectus fetuum motus, mortem horum adſtruere videretur, vi-

vos tamen, ope Forcipis Smellianæ, infantes feliciſſime in lucem eduxi.

§. VIII. Eadem incertitudo iſti ſigno incumbit, licet videatur Puerpera ſui Fetus motus percipere: quis dubitaverit feminam, de qua noſtra agit obſervatio, certiſſime falſam fuiſſe, cum ex pridie percepto fetus motu, vitalem eum eſſe putaret? contrarium enim evincunt funiculi umbilicalis valida compreſſio, partus difficillimi diuturnitas, pueri excluſi putredo, fœtorque, quibus efficiendis tam breve temporis intervallum haud ſufficere videbatur. Huic jungendus eſt ſimilis Caſus, qui menſe Junio CIↃIↃCCLX accidit, in quo poſt variorum dierum nixus fruſtraneos, manu eduxi Fetum plane corruptum, lividum, putridumque, cui de multis corporis locis ſponte, aut ad minimum attactum, ſecedebat cuticula, & quem tamen Mater aſſeverabat præcedente nocte ſuos artus manifeſte moviſſe. Nemo facile in his, aliisve ſimilibus, hiſtoriis, Fetus viventes motus iſtos exhibuiſſe, perhibuerit: ſi quis vero expertus fuerit, quam mirabiles effectus ſæpiſſime producant flatus in colicis, hyſtericis, & convulſivis, affectionibus; aut illos, quos excitare ſolent Lumbrici (talis autem in noſtra parturiente adfuerat) inteſtina occupantes; ut non raro ingentia animalia in ſuo abdomine ſedem habere, jurent ægræ, aut faſcinum, aliasve cauſas præternaturales, accuſent; ille haud difficulter conclu-

cludet, dari etiam varias alias causas, quam fetus viventes, quibus fallentes illi motus adscribi possint. Atque hæc sufficiant pro incertitudine memorati Signi in Parturientibus demonstranda.

§. IX. Licebit, nisi fallor, per maximam rei tractandæ similitudinem, & arctum quasi nexum, hic breviter addidisse, quomodo experientia testetur, eidem Signo in Graviditate, ejusque termino, dijudicandis, non majorem inesse valorem. Quoties mulierculæ, partum nunquam passæ, prolis avidissimæ, decipientibus istis Motibus, fetui adscriptis, earumque spem blande foventibus, fallantur, multæ docent, quibusvis hominibus notæ, historiolæ. Ast alias quoque feminas, quæ fetus antea enixæ fuerant, hoc signo sæpius in errorem deductas fuisse, vidi. Ex plurimis duo maxime notabilia duxi esse exempla. Amici cujusdam mei integerrimi Uxor, quæ antehac Fetum maturum feliciter pepererat, iterum gravida facta, ultra tertium mensem jam gestaverat, cum mense Martio corripiebatur tanto fluore sanguinis ex utero, ut abortus omnino instare videretur: hunc tamen coërcebant remedia temperantia, leniter adstringentia, venæ sectio, atque corporis protracta quies, & decubitus horizontalis. Recte proinde videbatur procedere graviditas, maxime cum deinceps, quartum inter quintumque mensem, Motum sui Fetus se manifesto percipere, declarabat, idemque quoti-

die repetebat, Amica. Quater rediit ille fluxus, totiesque, per tres circiter hebdomadas perdurans, ſimili methodo, ac antea, fuit curatus. Omni hoc intervallo continuari fetus agitationes illa conſtanter aſſeruit, easque a ſe etiam perceptas confirmavit maritus, Vir prudens & cautus. Tertio tandem Julii die, cum ſex circiter menſes attigerat graviditas, denuo invaſit uteri hæmorrhagia, validis doloribus comitata, poſtridie adeo increſcentibus hiſce ſymptomatibus, ut abortum appropinquare indicarent: pergebat interim noſtra affirmare, ſui Fetus motus a ſe percipi, imo hos ante paucos dies tam validos & moleſtos fuiſſe, ut fetum eo tempore converſum, & capite deorſum prolapſum eſſe, ex vulgari opinione, ſerio crederet. Quis igitur mecum non exſpectaſſet Fetum ſatis provectæ molis, periodo graviditatis congruum, & tantis moliminibus excitandis aptum? Vidi nihilominus, facto abortu, prodire fetum puſillum, vix quinque pollices longum, marcidum, qualem gravidæ, tertium inter & quartum menſem abortientes, excutere ſolent, prætereaque corruptioni proximum. Hic itaque fetus manifeſto evincebat, mortem ejus in principio fluxus uterini jam factam fuiſſe; Motus ergo perceptos ab illo produci non potuiſſe; multo minus, eum ultimas iſtas moleſtias effeciſſe. Haud omittendum mihi videtur, fetus hujus toti corpuſculo obductum fuiſſe involucrum, conſtans pſeudomem-

membrana per compreſſionem uteri formata ex ſanguine, in utero ſuperficiem ejus alluente: quale involucrum, poſt uteri hæmorrhagiam, ſæpe totius ovi ambitum, quaſi tertiam membranam, involvere, frequens me docuit obſervatio, diverſaque exhibent objecta, quæ in ſpirituoſo liquore conſervo. Magnam enim Medicorum atque Obſtetricantium attentionem talis pſeudomembrana meretur, uti videre mihi contigit in nobili quadam Matrona, quæ poſtquam antea hæmorrhagia uteri laboraverat, ſeptimo menſe abortu feliciter excluſit ovum ſemeſtre integerrimum, cum fetu mortuo in aqua amnios fluctuante: tribus elapſis diebus, poſt tormina quædam, emiſit talem pſeudomembranam, quæ toti ovo intra uterum detento extus adhæſerat, perque foramen in ea factum integrum ovum transmiſerat, in utero remanens, nunc vero emiſſa perfecte in aqua formam ejus exhibebat: a marito autem, & conſanguineis, imprudenter habebatur pro relictis ab obſtetrice Secundinis, donec re bene examinata, inque eorum mentem revocata integri ovi excluſione, quid revera hic obtineret, illos docerem. E diverticulo in viam rediens, noto aliam Feminam, duorum infantum matrem, adeoque haud inexpertam, denuo gravidam factam, quæ, cum ad medium circiter geſtationis terminum ſe perveniſſe, ex percepta Fetus motitatione, putabat, ſubito incidit in fluxum uterinum violentum: durante hoc ſangui-

nis torrente non minus, quam antea, motus in utero perdurare, illa asseverabat. Augebatur dein istud sanguinis profluvium usque adeo, ut in mortis periculum delapsam Ægram coactus fuerim manu liberare a suo ovo: tum autem non sine admiratione deprehendi, ovi, quod bimestre sua magnitudine circiter æquabat, membranas inspissatas, & quasi carneas factas, nullum vestigium Fetus continere, adeoque feminam hanc, æque ac præcedentem, fallente isto signo fuisse deceptam.

§. X. Alterum, quod præ reliquis notabile exhibuit præmissa partus difficilis historia (vid. §. V), erat singularis illa Retentio Placentæ intra præternaturalem uteri Saccum, efficiens, ut solutio ejus difficulter peragi posset. Quum scilicet funiculi umbilicalis corrupti ruptura requireret manus immissionem in uterum, ut secundinæ extraherentur, sequutus eum in finem funiculi partem relictam, mirabar, hanc manum ducere versus insolitam aperturam, in laterali dextra uteri regione, unum circiter pollicem cum dimidio amplam, tendentem ad saccum peculiarem, a cavo uteri contracti plane distinctum, per quam propendebat funis portio: apertura illa digitis insertis dilatata, attigi intra saccum istum reconditam placentam, firmiter adhærentem, eamque, facta ulteriore cavi, quo continebatur, dilatatione, prudenter avulsi & protraxi; ad quod facilius efficiendum, maxime conducebat totius cor-

corporis parturientis declinatio in iſtud latus, quod placenta occupabat. Non unica eſt, quæ notabilem hanc conditionem morboſam me docuit, obſervatio: anno enim inſequente ſimilis iterum mihi occurrit in Femina, partu admodum difficili, ob ſitum uteri obliquum, afflicta, in qua, excuſſo fetu, inveni Placentam parieti anteriori uteri adnexam, ſacco itidem peculiari incluſam, ad quem aditus patebat digitis per orificium, unum fere pollicem cum dimidio ſua diametro æquans, & funiculum umbilicalem in uteri cavum emittens. Funis ruptura, firma placentæ adhæſio, locus adnexionis pro ſolutione ejus difficillimus, aliæque cauſæ, faciebant, ut non, niſi per partes, & repetita conamina, a ſecundinis liberare potuerim decumbentem: quæ tamen feliciter dein evaſit. Notari maxime debere mihi videbantur præternaturales illi Sacci, quoniam frequentius forſan, quam attendi ſolet, locum habentes, cauſam efficiunt retentionis, atque difficilis extractionis Secundinarum: quid, quod ignaris obſtetricibus imponant, acſi nulla adſit placenta, aut illas inducant, ut digitis circumvagantibus uterum contundant, lacerent, imo nonnunquam perforent, & disrumpant? Contingere etiam poſſe, ut, ſi gemelli adſint in utero, uno excluſo, alter in tali ſacco recludatur, & fere detegi non poſſit, docet cl. TH. SIMSONIS obſervatio (δ): neque improbabile mihi vi-

(δ) *Medical Eſſ. and Obſerv. of Edinb. vol. IV, pag. 99,* Ed. IV.

videtur, illos frequenter anſam præbere accumulationi & coagulo ſanguinis poſt partum, doloribus, torminibus, inflammationibus, putredini, multisque, exinde ortum trahentibus, malis. Origo eorum quærenda imprimis eſt, poſt partus difficiles, in nexu placentæ extra fundum uteri, ad aliam quamcunque hujus regionem, quia tum pars uteri, cui adhæret placenta, non conſtringitur tam ſubito, aut in eadem ratione, ac reliqua uteri ſubſtantia, ſicque ab irregulari fibrarum contractione talis appendix ſacciformis efficitur. Non mirum itaque eſt, quod, quamvis minus, quam oportet, a Medicis, aut Obſtetricatoribus, memorentur hi Sacci, tamen a nonnullis obſervati aliquando, & deſcripti, inveniantur. Sæpius occurriſſe videntur Obſtetricatori Gallo PHIL. PEU, qui cauſam illorum ignorans, pro appendicibus uteri præternaturalibus, antea jam præſentibus, perverſe eos habuit (ε): veriorem cauſam perſpexiſſe videtur egregius Obſtetriciæ cultor J. VAN HOORN, cum ipſi talis obſervatio occurreret (ζ), ut & TH. SIMSON (η): quam peculiari diſſertatione etiam expoſuit doct. J. G. MEYFELDIUS (ϑ), neque ignoravit celeb. HEISTERUS, qui ejusmodi ſaccos *Diverticula* (ι), neque

(ε) *La Pratique des Accouch. pag.* 508.
(ζ) *Siphra en Pua &c. Waarnem. IV*, *p.* 142.
(η) Loc. cit.
(ϑ) Diff. *de Partu difficili ex ſpaſtica ſtrictura uteri circa Placentam*, Altorf. 1732, §. X.
(ι) Inſtit. Chirurg. Part. II, Sect. V, Cap. CLV, §. VI.

que clar. HARTTRAMFFTIUS, qui hoc malum *Placentæ Incarcerationem* (κ), vocavit, nec denique optimus ROEDERERUS (λ): dilucidius quoque de hac re ſuas animadverſiones expoſuit cl. LEVRET, in altero ſuarum Obſervationum Volumine (μ).

CAPUT XII.

Partus Agrippinus perdifficilis & lethalis, ob Capitis retentionem, factam a dura Oſſis Sacri excreſcentia.

§. I.

Femina annos triginta octo nata a. d. XXVIII Decembris CIƆIƆCCLIX altera vice difficillimo partu cruciabatur, meamque requirens opem, laborioſiſſimam, quæ unquam mihi occurrit in praxi obſtetricia, ſubibat operationem, cum lethali eventu conjunctam, enarrandam nihilominus, propter ſingularem difficultatis ipſius cauſam. Annis tum quatuor elapſis primum enixa fuerat infantem, partu valde difficili & diuturno: ultra quinque ſcilicet dies ingentibus cruciatibus vexata, tandem ſuum fetum

 edi-

(κ) In Diſſ. *de non differenda Secundin. adhær. extractione* §. *VIII*, quæ etiam occurrit in HALLERI Collect. Diſſ. Chirurg. Tom. III.
(λ) Elem. Art. Obſt. §. 347, ζ, & §. 357.
(μ) *Suite des Obſerv. pag.* 119.

ediderat mortuum, putridum, mollemque: unde plicatilis factus, viæque sese adaptans, videtur hic obstaculum, quod ipsum retinebat, superasse. Nunc iterum impraegnata graviditatem feliciter transegerat: hanc circa mediam noctem præcedentem exceperant partus dolores, cum inopina aquæ amnios eruptione. Accedens Obstetrix, vulgaribus multo peritior, exploratione ilico detexerat prolapsam Fetus manum dextram per uteri orificium, meritoque sese sine mora accinxerat ad eum, præternaturali situ positum, invertendum, & pedibus protrahendum. Quod cum perficere tentabat, inveniebat cavitatem pelvis valde arctam, offendebatque maximam difficultatem manum dimittendi intra uterum, licet orificium nullam faceret resistentiam: hac tamen superata, arreptisque fetus pedibus, versionem ejus faciebat ingenti cum labore, eumque solito modo producere in lucem nitebatur. Cum vero ad humeros usque illum protraxerat, multum augeri obstaculum sentiebat, atque Caput fetus hærere firmiter, itaque omnibus suis conaminibus reniti, ut quacunque adhibita opera, solutis quoque brachiis, partum absolvere nequiret: sicque consilio destituta, viresque fracta, meum rogare auxilium cogeretur.

§. II. Absque ulla mora summo mane parturientem adibam, iisque, quæ exposita sunt, auditis, exploratione me certiorem reddebam de rerum statu. Fetum jam ante meum

meum adventum mortuum esse, edocebar, &, protracto reliquo corpore, Caput solum intus remanere, occipite ad pubem, facie versus os sacrum, positum esse, & tam alte in cavo pelvis hærere, ut totum hoc repleret, vixque ullum digitis aditum relinqueret, deprehendebam: sedulo tamen attendens eo perveniebam, ut detegerem obstaculi, caput adeo firmiter tenentis, causam esse, ingentem duramque *Excrescentiam*, ex superiore ossis Sacri parte, e regione pubis, enatam, quæ superiorem pelvis aperturam longe, quam par erat, angustiorem redderet, neque obscure indicaret, cur tanta cum molestia prægressus peractus fuisset Partus. Omnes mox intendi vires, ut impactum illud caput quantocius resolverem: cui labori maxime obstabat pelvis angustia, & alta capitis positio, nec non foras propendens corpus reliquum fetus, suis humeris, summoque pectore, totum fere sinum muliebrem opplens. Unde irrito conabar, firma digitorum apprehensione, majorem capitis dimensionem ad pelvis diametrum adaptare, eoque magis frustra tentabam, quum ori quidem eos aliquantum immittere possem, non vero satis, ut ullum inde commodum haberem in situ capitis mutando. Cum itaque omnia hæc conamina nullum auxilium afferebant, meæque non minus, quam miserandæ parturientis, vires plane disperdebantur, solisque manibus opus absolvi posse desperabam, ad efficacius remedium ani-

 mum

mum adverti, quod, capitis molem diminuendo, hoc aptaret ad faciliorem per anguſtam pelvim tranſitum: Fetus enim jam diu erat mortuus. Commodis, quæ aliter adhiberi forte potuiſſent, inſtrumentis deſtitutus, longeque a domo mea remotus, meditabar ope ſcalpelli (usque ad apicem linteo involuti, atque ope digiti, ducis vices agentis, prudenter applicati) inferiori capitis regioni aperturam inferre, ut humoribus effluentibus, & extracto cerebro, compingi illud, & ad arctam viam formari, poſſet. Aſt ſcopum meum attingere non magis ſic licuit, quam per priora tentamina: quum enim alta capitis poſitio, ejusque, nec non genitalium, tumor, & pelvis anguſtia, nec manui, nec inſtrumento, facilem concederent aditum, (accedente maxima operandi moleſtia ob propendens fetus corpuſculum) non poteram dictam exſequi methodum, metusque imprimis erat, præter partium genitalium læſionem, ne ſcalpellum collo potius, quam capiti, inflictum, divulſionem harum partium produceret. Coactus itaque ab hoc etiam conamine deſiſtere, quum dilapidatas omnes meas vires ſentirem (quemadmodum peritis notum eſt, in difficilibus ejusmodi laboribus fieri ſolere), conſultum duxi Parturientem, ſummopere debilitatam, lecto imponendam & fovendam, blandoque calore & cardiaco refocillandam eſſe; ipſe interim quoque corporis vires recuperaturus, & ſedulo penſitaturus,

rus, quo modo auxilium nostræ miseræ decumbenti ferri posset.

§. III. Aliam methodum in tota Arte invenire non poteram, saltem meliorem & tutiorem nullam, quam qua tentarem Caput fetus impactum apprehendere ope Forcipis incurvatæ Levretianæ, illudque foras educere (α). Si vero propter partium tumorem, & pelvis angustiam, res eo modo ex voto non succederet, faciendam separationem Corporis proxime caput, hocque dein lege Artis excutiendum esse, apud animum statuebam. Ut autem in re hac difficillima eo melius saluti Ægræ, nec non propriæ famæ consulerem, in consilium vocabam duos in Arte sua peritissimos Medicos, cum quibus memoratam methodum communicarem, atque de parturientis commodo ulterius agere possem. Loci distantia, & officia Eorum practica, efficiebant, ut ante singulorum adventum elaberentur aliquot horæ: tempus quoque deliberandi, ab altero illorum aliquantum meticulosius protrahebatur, & diutius, quam oportere mihi videbatur. Cum vero tandem ad ipsam operationem redire statutum esset, deprehendimus symptomata tantopere in pejus abiisse, ut ex difficili respiratione, anxietate, faciei & oculorum habitu, sudore frigido, aliisque signis, mortem proxime instare, concluderemus,

 &

(α) Conf. Smellii Tabulam XXXV.

& consultum duceremus, a Fetus extractione abstinendum potius esse, quam videri Artis molimine occidisse parturientem, nullo artificio sanabilem. Cujus consilii cum illa certior fieret, atque summopere contristaretur, statim me instantissimis precibus rogare cœpit, ut sibi miseræ, utut certo moriturae, ultimam vitæ spem haud denegarem, atque fetum suum educerem: denuo monita de summo periculo, in quo jam versabatur, & in quod porro deduceretur, non desiit operationem enixe efflagitare: hanc quoque expetentibus marito ejus & consanguineis, ad illam faciendam eo facilius animum meum disponi sentiebam, quo magis durum & grave mihi visum fuerit, miseris qualecunque solatium subtrahere; quo certius, ex mirabilibus Naturæ medicatricis effectibus salutiferis, didicerim, anceps remedium præferendum esse nulli; & quo constantius propositum mihi steterit, famæ mendacia ridere, modo mente recti conscia, & ad salutem decumbentium attenta, Artis opem adhiberem.

§. IV. Exoratus itaque me denuo operi accingebam, & præter exspectationem hoc succedere experiebar: cum enim novum tentamen solis primum manibus facerem, digitosque priores dextræ manus ori fetus immitterem, sinistræ vero digitis, ad humeros fetus firmatis, collum hujus firmiter arriperem, valido conamine viribus interea instauratis facto, Caput impactum suo loco dimovi,

&

atque feliciter protraxi, & a ſuis ſecundinis ſtatim absque difficultate feminam liberavi. Educto fetu, ultro poteram examinare partus difficillimi cauſam, magnam ſcilicet illam Excreſcentiam ad ſuperiorem oſſis ſacri partem (§. II), ovi fere dimidii gallinacei formam & magnitudinem habentem, eamque nunc adſtanti Medico, qui arti explorandi non adſuetus, illam antea diſtinguere non potuerat, examinandam exhibui, & clariſſime dignoſcendam. Caput fetus erat maxime flaccidum, & a loci calore ſummopere emollitum: vulnus mane inflictum cuti, ad inferiorem ejus partem, emiſerat forte humores cutim diſtendentes: adeoque facile poterat intelligi, cur nunc facilius, quam prioribus tentaminibus, in lucem protrahi potuerit.

§. V. Puerpera illo ſucceſſu excitata, ex agone quaſi mortis, ad ſe rediit, debitisque remediis fuit refecta: remanebat tamen abdominis valida inflatio, & dolor ingens, lochiorum fluxus ſupprimebatur, uteri peſſime inflammati ſigna aderant, iterumque tam valide increſcebant prava ſymptomata, ut poſtridie verſus veſperam moreretur. Sectionem cadaveris obtinere non potui.

§. VI. Non opus eſſe exiſtimavi, alia adducere exempla excreſcentiarum oſſearum, in varia pelvis parte enaſcentium, partumque difficilem producentium, & plerumque Fetus, vel & Matris, vel utriusque, mortem efficientium: no-

nolui tamen non monere, cl. J. F. HENCKEL, in ſuis Obſervationibus, partum talem agrippinum difficillimum memoraſſe, cujus cauſa erat prominentia inſignis ſuperioris oſſis ſacri partis & imæ lumborum vertebræ (β).

CAPUT XIII.

Obſervationes Oſteologicae, varios Naturæ Luſus in Oſſibus humanorum corporum exhibentes.

§. I.

Multos annos quum Anatomicis laboribus ſedulo incubuerim, mirum nulli videbitur, me non raro Naturam, a ſolito ſuo operandi modo abludentem, offendiſſe in aliis quoque partibus, quam quarum Luſus exhibent priora hujus libri Capita. Vidi enim frequentiſſime Naturam exhibere non tantum tales monſtroſas, atque vitæ aut ſanitati nocivas, deviationes; ſed ſæpius quoque ſollertem illam, ex divite quaſi penu, diverſiſſimam a conſueta fabricam, ad ſimilem actionem perficiendam, aut ſimilem ſcopum obtinendum, in diverſis hominibus conſtituiſſe, eamque talem, ut ſua novitate & elegan-

(β) Vid. Ejus *Dritte Sammlung Mediciniſcher und Chirurg. Anmerck. pag.* 33.

gantia non minus placeret obſervanti, quam intuentem ſua perfectione in admirationem ſummam abriperet. Obſervationes itaque Anatomicas rariores, imprimis illas, quæ in novenni Muneris Academici adminiſtratione notatu dignæ mihi occurrerunt, ex ſchedis meis colligere conſtitueram, aliorum Virorum laude dignorum exemplo excitatus, atque eas nequaquam omni utilitate deſtitutas fore opinatus. In hoc autem labore dum verſabar, facile percepi, illum, præter exactiorem limam, non parvo etiam egere temporis intervallo, harumque Obſervationum editionem, nimis diu jam ſuſpenſam, denuo retardaturum eſſe: unde, aliis ad commodiorem occaſionem relictis, nunc mihi tantum ſumſi exhibendas nonnullas Obſervationes Oſteologicas, quæ ex duris, & facile conſervandis, oſſibus, absque magna temporis jactura, deſcribi poterant: easque tales, quæ non adeo a morboſa oſſium degeneratione, quam quidem a ludentis Naturæ conformatione, eſſent petendæ.

§. II. Si *Capita* quæ poſſideo, aut examinavi, memorare vellem omnia, quatenus inter ſe differunt formæ diverſitate, appareret facile, in his conformandis non minorem differentiam locum habere, quam in diverſis hominum faciebus: id enim de capite imprimis, quod de toto ſceleto conſtat, verum eſt, aliud ab alio differre, pro varietate ætatis, ſexus, temperiei, vitæ generis, nationis, aliisque

causis. Hisce vero generalibus haud insistens, unice ex illis memorabo duo, mihi singularia maxime visa: quorum prius senii decrepiti omnes gerit notas, figuram habens ad quadratam accedentem, propter planiorem ossis occipitis formam, & os frontis, totamque faciem, quæ quasi depressa in planiformem superficiem cernuntur. Alterum est femininum, sutura frontali præditum, quæ simul cum sagittali in acumen elevata est, & calvariam, in angulum eminentem, deformat: vereor autem, ne ab imprudenti capitis junioris tractatione potius contractum vitium, quam ludentis Naturæ effectus, haberi debeat. Præterea sunt alia majora, alia minora; alia ad rotundam, alia ad ovalem magis, figuram efformata; alia in temporibus magis minusve applanata. Sed, præter generales hasce, multa quoque eorum, quæ possideo, majores habent differentias, locum habentes maxime in Ossiculis suturas occupantibus, vel in Suturis, vel in aliis partibus, a consueta fabrica abludentibus. Has ergo sequenti ordine proponam.

§. III. *Ossicula* in suturis occurrentia, *Wormiana* plerisque dicta, atque solitum ossium calvariæ numerum superantia, insignem mihi exhibent diversitatem. I°. Est mihi junioris hominis adulti tale caput perpulcrum, in quo lambdoidea sutura continet septemdecim ejusmodi Ossicula majora, minoraque: suntque, præter hæc, alia in eodem

ra-

rariora, ſuturas ſquamoſas occupantia tanto numero, ut utramque reddant duplicem. IIo. In calvaria feminæ, §. II memorata, præter duo in ſutura lambdoidea, occurrunt tria in poſteriore ſuturæ ſagittalis parte, qua cum oſſe occipitis hæc concurrit: de quibus etiam id notandum eſt, quod in exteriore tantum oſſium verticis lamina efformata ſint, ideoque ſutura ſagittalis, quæ extus interrupta cernitur, intus recta continuetur: duo ſimilia notavit, in recentiore ſuo de Oſſibus libro, Anatomicorum princeps B. S. Albinus (α). In eodem capite aliud oſſiculum occurrit in latere ſiniſtro, ubi conjungitur os verticis cum ſquamoſo & multiformi: aliudque ponitur in latere dextro, in angulo formato a concurſu partis mammillaris & ſquamoſæ oſſis temporum. IIIo. In capite viri adulti, cujus omnia oſſa eleganter diſſoluta poſſideo, præter parva aliquot oſſicula in ſutura lambdoidea, occurrunt imprimis duo majora, ad concurſum ſuturæ ſagittalis cum oſſe occipitis, maxima ſui parte in hoc, partim etiam in oſſibus verticis, efformata: quibus fit, ut os occipitis ſutura transverſa bifariam dividatur, ad mediam fere inter ejus apicem & tuber diſtantiam, ſicque ſutura ſagittalis eo uſque, ultra ſedecim pollicis lineas, pergens, cum illa coëat, eodem fere modo, ac anterius cum ſutura coronali.

(α) De Sceleto humano lib. Cap. XLIV, §. IV.

IV°. Eandem omnino fabricam coram me video in capite infantis, quem A. CIↃIↃCCLXIII ultimum in noſtro Theatro anatomico diſſecui, atque Auditoribus expoſui. In quo capite, licet ad annum nativitatis ſecundum fere pervenerit, multa dantur loca, quibus calvariæ oſſa necdum indurata, nihil, niſi pellucidam exhibent membranam. Oſſicula ſimilia dictis notavit ill. ALBINUS (β); taliumque in adulto cranio locum habentium figuram dedit cl. C. E. ESCHENBACH (γ): & olim jam ſcripſit P. PAAW, „ ſe obſervaſſe, frequentius hiſce, quam aliis calvæ accidere oſſibus, ea ut parte, qua occipitis os attingunt, peculiaria ſe oſtendant oſſicula, ſuis ſuturis circumſcripta, quæ dubites num ad bregmatis, num vero ad occipitis, pertineant oſſa " (δ). V°. In maxima proceri hominis calvaria, ad concurſum ſuturæ ſagittalis & lambdoideæ, datur oſſiculum quadrangulare, circiter pollicem dimidium longum & latum, quod in ſola externa oſſis occipitis lamina eſt exſculptum. VI°. Eſt porro mihi perpulcrum pueri tredecim circiter annorum ſceleton naturale, in cujus capite ſutura lambdoidea continet ad minimum duodecim parva Oſſicula Wormiana, præter unum majus, quod totum oſſis occipitis apicem conſtituit, unum pollicem

cum

(β) Libr. cit. Cap. XXIV. §. IV.
(γ) Obſerv. rarior. continuat. Tab. I, ad Obſ. XI.
(δ) Primit. anatom. de hum. corp. Oſſib. pag. 41.

cum dimidio fere longum, & quindecim lineas latum. Datur præterea in hoc cranio ejusmodi aliud officulum, positum in conjunctione marginis processus lateralis, seu alæ magnæ, ossis multiformis cum osse frontis, in cavo temporali: id quod infrequens non esse scribit ill. ALBINUS (ε). VII°. Possideo quoque infantis caput, in quo (præter unum in suturæ lambdoideæ parte dextra, & alterum in conjunctione marginis posterioris & inferioris ossis verticis cum parte mammillari ossis temporum sinistri) dantur duo omnium maxima, quorum unum, quinquelaterum, constituit partem superiorem, seu apicem, ossis occipitis, ultraque viginti pollicis lineas longum & latum est; alterum, quod duos pollices cum dimidio longum, & fere ubique unum pollicem latum est, sinistram ejusdem ossis partem lateralem efformat. An simile memoravit ill. ALBINUS (ζ)? Si tertium adesset in latere dextro, satis similis foret hæcce fabrica illi, quam exhibuit clar. SCREIBERUS (η). VIII°. Omnium denique singularissima mihi visa fuere illa, quæ etiam inter rariora servo, Officula Wormiana, quæ exhibentur in Tabulæ VII Figura I & III. Prima figura delineata sistitur galea capitis adulti, in qua ad concursum suturæ sagittalis cum coronali, loco Fonta-

(ε) Libr. cit. Cap. XLV, §. IV.
(ζ) Libr. cit. Cap. XXIV, §. IV.
(η) In Nov. Comment. Acad. sc. Imper. Petropolit. Tom. III.

tanellæ, cernitur officulum figuræ irregularis, aliquantum tamen triangulare, pollicem in exteriore sua facie longum, posterius decem circiter lineas latum, & versus anteriora minus latum, atque apice anguloso ultra suturam coronalem in ossis frontis sinum prominens, margine circumdatum, qui instar veræ suturæ formatus est. Intus vero longe aliter se habet, quum margine fere æquabili circumscriptum, novem tantum lineas longum, & sex circiter latum, sit (vid. Fig. II, Tab. III). Tertia figura tale officulum exhibet, quod occurrit in cranio isto senili, fere quadrangulo, de quo §. II dixi: ponitur nempe itidem ad extremitatem anteriorem suturæ sagittalis, in hoc ferme disparentis, forma triangulare, præcedenti tamen magnitudine cedens. Delineationes hujus fabricæ olim fieri curaveram, cum rariorem illam esse, quam nunc reperio, putarem: vidi autem nuper omnino similem in Thesauro ossium clar. CAMPERI: præter hanc, aliam inveni in alterius Medici collectione rariorum: sed & cl. TRIOEN, haud vulgaris, dum viveret, Medicus Lugduno-batavus, in Puellæ hydrocephalæ calvaria Os Wormianum, eodem loco positum, duosque pollices longum, cum alio, in sutura coronali, juxta præcedens locato, invenit (ϑ): rhomboideum tale os, totum fontanellæ locum occludens, delinea-

(ϑ) Observ. Med. Chirurg. Fascic. pag. 24, Tab. II.

neavit cl. B. STEHELINUS (ι): ita & cl. TARIN in præfatione ſui operis oſteologici aliud depingi curavit, quod priori noſtro plurimum reſpondere videtur (κ). Jam olim talia in hoc loco oſſicula vidiſſe PAWIUM, haud videtur improbabile (λ).

§. IV. Originem horum Oſſiculorum ſi ſpectemus, facile erit perſpectu, nihil facilius fieri poſſe, quam ut ludentem in iis offendamus Naturam, cum in oſſium formatione occupata eſt. In oſſibus calvariæ incipit induratio a puncto quodam oſſeo, mediam circiter partem illorum occupante, indeque ſenſim propagatur, per omnem ambitum, ad eorum margines, donec hi inter ſe concurrant iis, quibus poſtea futuræ ſunt formandæ, locis, nunc tantum connexi ſubſtantia, quæ mediæ quaſi naturæ inter cartilaginem & membranam habetur, aut, ab incomparabili Oſſium Fetus atque Oſteogeniæ deſcriptionis Auctore, potius naturam cartilagineam habens membrana dici meretur (μ). Sic itaque in fetus incremento integer formatur capitis folliculus, & formatur absque oſſiculis ſupernumerariis, quando ex inſtituto Naturæ opus hocce proce-

(ι) In *Theſib. Phyſ. Anat. Botan. Fig. III*: quæ etiam occurrunt in cl. HALLERI Collect. Diſſert. Anat. Vol. VI. pag. 674.

(κ) Vid. Ejus *Oſteographie*, *Préf. pag. XVI. pl. IV.*

(λ) Conf. Libr. cit. pag. 39 & 40.

(μ) Vid. ſummi B. S. ALBINI Icon. Oſſ. Fet. hum., nec non Ejusd. Academ. Annot. Libr. VI, Cap. II.

cedit. Si vero præcoce, aut deviante, offeæ materiæ generatione fiat, ut alibi inter illos margines tale punctum offeum oriatur, increfcit hoc eodem modo, quo videmus increfcere folitum: propagatur fubftantia offea, donec fimili offis vicini occurrat, cumque ea nexum formet plane fimilem, deinceps in futuram convertendum, quæ, fi totum illius ambitum occupat, format ita Os Wormianum. Ex iis patet, cur hæc officula modo utramque laminam offium calvariæ, alias externam tantum, alias quoque, obfervante cl. HUNAULD (v), internam folam, occupent? Cur tam frequenter obferventur, adeoque in operationibus fuis, in capite inftituendis, eorum femper memores effe debeant Chirurgi, ne ea pro fracturis offium perverfe habeant? Cur toties in futura lambdoidea fuam fedem habeant? utpote quæ, lentius procedente offis occipitis induratione, tardius concrefcit. Cur noftræ obfervationes illa frequentiffime exhibeant eo loco, quo conjungitur apex offis occipitis cum offibus verticis? quoniam fcilicet angulus ejus in fetu eft cartilagineo-membranofus, mollis, inque ipfis infantibus recens natis fæpe format Fontanellam pofteriorem, fero fatis quandoque poft nativitatem occlufam. Imo ex memorata horum Officulorum formatione non eft difficile conceptu, cur nonnulla exempla fint eo-

(v) *Mem. de l'Acad. R. des Sc. Ann.* 1730, *pag.* 787.

eorum, quæ occupaverint Fontanellam illam anteriorem, quæ ab offibus verticis & frontis, nondum totis in offa mutatis, in recens natis, imo & provectioris ætatis infantibus, efficitur? Aft quæri poffet ratio, qui fiat, ut non tantum non in omnibus, fed fatis rara hoc loco, eorum reperiantur exempla? aut, quamobrem haud inveniantur in futura frontali, in adultis aliquando fuperftite a divifione offis frontis, quæ femper in junioribus adeft? Duas offis frontis partes fere femper in unam coalefcere, & quidem absque officulis talibus, videmus: fontanellam femper occludi, idque fere femper absque officuli wormiani formatione, obfervamus: conftantem fere admiramur Naturam, fuæque Legi addictam: cujus rationem fi vellemus perfpicere, oporteret nos illi operanti adfuiffe, neque cæcutiiffe. Suntque hæc, quæ de hifce Officulis habebam.

§. V. Solet quoque non raro contingere, ut Lufus Naturæ dentur in *Suturis* calvariæ, licet nihilominus nulla inde functionum læfio enafcatur. I°. Vidimus jam, futuram frontalem hujus diverfitatis aliquando præbere exempla: funt mihi talia duo. Unum eft femineum illud, de quo §. II memoravi, quodque propter hanc futuram, absque dubio, pronum magis fuit ad acuminatam iftam figuram: eft quoque in hujus parte frontis refecta confpicuum, quomodo feptum, dividens finus frontales in dextrum finiftrumque, ab illa futura fecetur ita, ut uterque

ſinus integer ſit, & denticulato margine conjunctus formet interſtitium (ξ): novo quoque exemplo hoc cranium probat, contra Falloppii aſſertum (ο), in talibus, quibus ſutura frontem ſecat, etiam inveniri ſinus frontales; quod poſt Albinum, Aliosque a præclaro hoc Præceptore citatos (π), monere non adeo neceſſarium duxiſſem, niſi Th. Bartholinus (ρ), imo & recentior Al. Monrous ſenior (σ), Viri nempe clariſſimi, aſſenſum eidem ſententiæ præbuiſſent, eoque legentes falli facile poſſent, niſi exemplorum copia contrarium evincatur. Alterum cranium, cujus frons itidem ſutura frontali eſt diviſum, eſt viri adulti, quem ipſe diſſecui A. CIƆIƆCCLX, novum argumentum præbens adverſus illos, qui immerito, inſolitam hanc fabricam capitibus feminarum propriam eſſe, ſcripſerunt (τ). II°. Suturas ſquamoſas duplices jam memoravi §. III, N. I, a multitudine oſſiculorum wormianorum ita efformatas. III°. Eſt mihi cranium, in quo plane deficit ſutura ſagittalis, ideoque duo oſſa verticis coaluerunt in unum continuum os. Licet cadaver hujus hominis non ſecuerim, ſed fortuito caſu caput hoc nactus ſim, non dubito tamen aſſe-

(ξ) Vid. Albini Acad. Annot. Lib. I, Cap. XI, pag. 37.
(ο) Expoſ. de Oſſib. in Oper. omn. pag. 558, Ed. Francof. 1584 in fol.
(π) Loc. cit.
(ρ) Anatom. reform. pag. 706, Ed. Lugd. Bat. 1686.
(σ) *The Anat. of the hum. Bones and Nerves &c. pag.* 83 *and* 84, Ed. V, Edinb. 1750.
(τ) Conf. jam olim aliter ſentiens Paaw, Libr. cit. pag. 33.

asserere, illud junioris hominis fuisse, qui forsan non diu post nativitatem ista futura jam caruerit, quoniam nulla hujus vestigia extus, intusve, conspiciuntur, qualia in senum futuris obliteratis observari solent: prætereaque reliqua omnia hujus capitis ossa, tum calvariæ, tum maxillæ superioris, laxissimis futuris, & harmoniis, cohærent, ita ut ne quidem conglutinatus sit ossis occipitis processus cuneiformis cum basi ossis multiformis: dentes etiam omnes maxillis adhuc inhærent, integri, sani, & juventutis quasi speciem præ se ferentes. Tale exemplum delineavit B. EUSTACHIUS (υ), idemque scripsit „ se in publico theatro „ quindecim ejus formæ calvarias ante oculos omnium ex- „ posuisse, in quibus ea futura deëffet, quamvis aliæ fu- „ turæ essent concinne & eleganter exsculptæ (φ): " quod maxime miror. IV°. Nuper mihi exhibitum fuit infantis aliquot annorum os verticis sinistrum, in quo opposita omnino fabrica datur: in media circiter sui parte, altera futura sagittali, a margine ejus frontali ad occipitalem extensa, in duas partes est divisum. Tale os, sibi a celebri WINSLOVIO exhibitum, delineavit cl. TARIN (χ).

§. VI. In permultis Capitibus quæ dissecui, aut adhuc conservo, non adeo frequenter mihi contigit *Partes alias*, a

(υ) Tab. Anat. T. XLVI, fig. III.
(φ) Ossium exam. in Opusc. Anat. pag. 148.
(χ) Loc. cit. Tab. V.

a naturali fabrica aberrantes, conſpicere, niſi Sinuum mucoſorum ordinarias diverſitates, aut Proceſſuum differentias, aut Foraminum, Sulcorum, & Cavitatum varietates, hic vellem exponere, quæ in omnibus obſervantur. Inter rariora autem exempla occurrerunt mihi ſequentia. I°. Caput feminæ, cujus ſingularem inteſtinorum craſſorum decurſum deſcripſi in Cap. III, §. IV, cum verticali ſectione in duas partes dividebam, inveni in eo deficere utrumque Sinum Sphænoidalem, & totam ſubſtantiam baſis oſſis multiformis atque proceſſus cuneiformis oſſis occipitis adeo ſolidam eſſe, ut nequaquam multis cellulis conſpicuis conſtet, qualem obſervationem cl. J. H. Schulzius (ψ) deſcripſit, ſed potius conveniat cum ea, quæ intus oſſium plerorumque longorum extremitatem replet. Cum noſtra videntur congruere venerandi Senis J. B. Morgagni obſervationes (ω). In eodem capite ſimul & deficiunt Sinus Frontales, quod nonnulli haud bene ſtatuerunt, ſemper ita locum habere: ſiniſter ita totus deficit, ut ne veſtigium quidem ejus adſit, neque dexter negari poteſt omnino deëſſe, niſi pro eo haberi velimus cellulam, anterius, quam poni ſolet ſinus, conſpicuam, lenticulam capiendo ſuo cavo vix aptam, quæque ad cavernulas oſſis ethmoidis pertinere videtur. Videtur quidem de horum ſi-

(ψ) In Actis Phyſ. Med. Vol. I, Obſ. CCXXVIII, pag. 510 & 511.
(ω) Adverſ. Anat. I, §. 28.

ſinuum in adultis defectu dubitare ill. ALBINUS, eosque, „ quamvis non deſint, videri poſſe deëſſe “, ſcribit (αα); probat tamen noſtra obſervatio, eos quandoque in iis deficere, idque exemplo J. PALFYNII (ββ), & cl. SCHULZII obſervatione accurata (γγ), confirmatur, nec non celeb. MONROI aſſerto, qui teſtatur, ſe in nonnullis eorum defectum obſervaſſe (δδ): qualibus exemplis videtur FALLOPPIUS inductus fuiſſe ad ſtatuendum, illos deëſſe in faciebus ſimis (εε), &, qui idem ſcripſerunt, ROLFINCIUS (ζζ), BARTHOLINUS (ηη), HIGHMORUS (θθ), atque nuper MONROUS (ιι): quæ adeo adauxit RIOLANUS, ut, licet ſinus frontales in hominibus ſimis admittat (κκ), eos „ in adultis ſæ„ piſſime deficere “ teſtetur (λλ): quod tamen, propter exemplorum raritatem, vix crediderim. IIº. In oſſibus maxillaribus ſuperioribus capitis infantis inveni Sinus Maxillares ſepto ſemilunari in duas cavitates inæquabiles diſtinctos, quod in utroque poſitum eſt verſus anteriorem partem, ita ut cavitas poſterior ad minimum quinquies magni-

(αα) Acad. Annot. Libr. I, Cap. XI.
(ββ) *Beſchryv. der Beender. pag.* 105.
(γγ) Loc. cit.
(δδ) Libr. cit. pag. 83.
(εε) Loc. cit.
(ζζ) Diſſert. Anat. Libr. II, Cap. XIII, pag. 273.
(ηη) Loc. cit.
(θθ) Corp. hum. disquiſ. Anat. Libr. III, Part. I, Cap. IV, pag. 203.
(ιι) Loc. cit.
(κκ) Comment. in GALENUM de Oſſib. in Oper. omn. pag. 468.
(λλ) Animadv. in C. BAUHINI Theatr. Anat. ibid. pag. 708.

gnitudine sua superet anteriorem. Palfynius observavit unum sinum maxillarem septo medio divisum (μμ). III°. Notabilis quoque mihi videtur diversitas, quam observavi circa Sulcos transversos ossis occipitis, quibus adhærent sinus laterales duræ matris: qui solent ita se habere, ut unus eorum, is nempe, qui a sulco, sinui longitudinali respondente, continuatur, altiorem locum occupet, quam alter: in eo autem capite dissoluto, quod citavi §. III, N. III, res ita a solito diversa est, ut utriusque lateris sulcus eodem loco, supra tuber internum ossis occipitis incipiat, & paulatim descendendo secedat. Errare quoque illos observavi, qui dicunt, sulcum dextrum in omnibus hominibus continuatum esse sulco longitudinali, suumque initium in altiore loco capere (νν): est mihi namque pueri calvaria, in qua contrarium manifesto cernitur. Atque hæ sunt, quas in Capite notavi, diversitates præcipuæ.

§. VII. In Trunco sceleti nonnullæ quoque Observationes occurrerunt, spectantes Thoracem, Spinam, & Pelvim, quarum sequentes sunt notabiliores. Primum locum occupent tria, quæ inter rariora mea anatomica exstant, exempla aucti Costarum atque Vertebrarum numeri, addenda iis, quæ alii Anatomici notarunt, maximam partem

(μμ) Libr. cit. pag. 196.
(νν) Vid. inter Alios cl. Monro Libr. cit. pag. 106.

tem a cl. HALLERO collecta (ξξ). I°. Possideo nempe sceleton naturale infantis unius circiter anni, mortui post perforationem intestinorum, a vermibus teretibus factam, quem A. CIↃIↃCCLVII publice dissecui: in hoc dantur viginti quatuor vertebræ veræ, scilicet septem colli, *tredecim* dorsi, & *quatuor* tantum lumborum: quæ serierum diversitas a solita fabrica ideo in iis facta est, quoniam in utroque latere dantur *tredecim Costæ*, septem veræ, & sex nothæ: inde in utroque latere septem superiorum cartilagines lateribus sterni tantum adnexæ sunt: satis parvæ sunt illæ duæ costæ supernumerariæ, dextra enim pollicem circiter longa est; brevior aliquantum sinistra. II°. Exemplum secundum mihi exhibet sceleton viri admodum proceri & robusti, quem in publicis exercitationibus A. CIↃIↃCCLX dissecui: in eo adsunt *Vertebræ viginti quinque*, colli nempe septem, tredecim dorsi, quinque lumborum, estque tamen os sacrum solito more ex quinque partibus coadunatum. *Costæ* similiter *tredecim* in utroque latere, quarum *octo* sunt veræ, spuriæ solito numero quinque: octo enim illæ verae utrimque lateribus sterni adnectuntur: octava nempe ita ejus margini nexa est, ut (dum septima, uti solet, ingreditur sinum communem, a parte ossea media & ima ossis pectoris factum) inveniat utrimque si-

(ξξ) Element. Physiol. Tom. III, pag. 5.

ſinum ſingularem, totum inſculptum margini iſtius partis inferioris ſterni. Varia quoque notavi circa coſtas nothas, earumque connexiones cum vertebris. Coſtarum illarum decima, eodem modo ac ſuperiores, ita connectitur lateribus ſpinæ, ut habeat ſinum communem, formatum a corporibus vertebræ nonæ & decimæ; præterque hunc nacta ſit alium ſinum in proceſſu transverſo decimæ, qui in aliis ſæpiſſime non datur. Undecima articularem ſinum nacta eſt unum, in ſolo vertebræ undecimæ corpore ſculptum, nec non alterum (quem in aliis non habet) in proceſſu transverſo ejusdem vertebræ. Duodecima unici tantum ſinus ope nectitur corpori vertebræ duodecimæ, uti in aliis locum habet. Decima vero tertia, ſeu ſupernumeraria, utraque in ſuo extremo, ſpinam reſpiciente, accepit ſinum glenoideum, loco convexi capituli, ejusque ope articulum format, a ſolitis valde diverſum, cum eminente ſuperficie convexa, & cartilagine inveſtita, quæ occurrit in utroque latere corporis vertebræ decimæ tertiæ dorſi. Uti porro proceritas totius ſceleti inſignis eſt, ita etiam coſtarum longitudo eſt maxima: undecima enim ſua parte oſſea æquat fere decem pollices, quæ in aliis raro ultra ſeptem extendi ſolet: duodecima æquat ſex pollices cum octo lineis, qui in aliis ſceletis vix quatuor pollices attingit: decima tertia ſiniſtra æquat pollices duos, dextra vero unum cum novem lineis. IIIº. Tertium exemplum mihi eſt

eſt in ſceleto virili, itidem procero, in quo dantur Vertebræ viginti quatuor, utpote ſeptem colli, *tredecim* dorſi, & *quatuor* lumborum: nec non *Coſtæ tredecim* in utroque latere. Decima earum non habet ſinum in proceſſu transverſo ſuæ vertebræ; ceterum reliquæ connexione ſatis ſimiles ſunt præcedenti ſceleto, non vero magnitudine, qua multum cedunt. Decima tertia una pollicem cum quatuor lineis longa eſt, altera vix decem lineas æquat. Os ſacrum ex partibus ſex componitur: vid. §. XII, N. I.

§. VIII. In ſingulis illis objectis nihil auctæ longitudinis, aut inſoliti, acquiſivit proceſſus transverſus vertebræ ſeptimæ colli: adeoque noſtris obſervationibus docemur, cum coſtis tredecim adfuiſſe vertebras colli ſeptem: miror hinc ſcripſiſſe cl. HUNAULD (oo), „ illos homines, qui tredecim habent coſtas in utroque latere, tantum ſex colli „ vertebras habere, quoniam vertebræ ſeptimæ proceſſus „ transverſi elongati conſtituunt coſtas, quæ tum dantur, „ ſupernumerarias“: magisque miror, huic aſſerto aſſenſum ſuum præbuiſſe clar. BERTIN (ππ): plerique quidem Auctores, qui majorem coſtarum numerum notarunt, exacte definire neglexerunt, quot in iis cadaveribus adeſſent col-

(oo) *Memoir. de l'Acad. R. des Sc. Ann.* 1740, *pag.* 536.

(ππ) *Traité d'Oſteologie*, *Chap. XVI & XVII*, in *Tom. III*: ubi imprimis pag. 142 aſſerit, ſe nunquam obſervaſſe coſtam ſupernumerariam, quæ cum ſuprema lumborum vertebra eſſet articulata.

colli vertebræ: ſi tamen obſervationem ill. MORGAGNII, in Commentariis Academiæ Regiæ ſcientiarum Pariſinæ deſcriptam (ϱϱ), ſi exemplum a cl. P. A. BOEHMERO memoratum (σσ), ſi propria celeb. HALLERI, Aliorumque, objecta, citato loco indicata, videamus; patet, non paucas obſervationes dictam opinionem deſtruere.

§. IX. Numerum coſtarum nunquam minorem vidi, quam viginti quatuor in hominum cadaveribus: ſemel quidem, iterumque, putavi, me in quovis latere undecim coſtas invenire; ſemel quoque me id publice enunciaſſe, memini; aſt, qui præſentes tum fuerint Auditores, ſciant, me ulteriore inquiſitione errorem meum detexiſſe: cum enim a carnibus depuratum eſſet ſceletum, vidi, adeſſe utramque coſtam duodecimam, quæ antea ob parvitatem, pollicis longitudinem haud æquantem, latuerat: idem quoque Aliis accidiſſe novi. Quod equidem non ideo moneo, acſi ſimilis erroris accuſare vellem illos Auctores, qui, minorem numerum ſe obſervaſſe, ſcripſerunt, præter GALENUM, COLUMBUM, RIOLANUM, ſatis multos Viros graviſſimos (ττ), ſed, ut ſaltem diſcant inde Anatomici, judicium etiam hic in occaſione præcipiti, uti in tota noſtra Arte, non nunquam fallax eſſe: unde jam olim G. FALLOPPIUS (υυ) idem ani-

(ϱϱ) *Hiſtoire &c. Ann.* 1741, *pag.* 105.
(σσ) In Inſtitut. Oſteolog. pag. 234.
(ττ) Citatos ab HALLERO loc. cit. cf. BERTIN libr. cit. Tom. III, pag. 132.
(υυ) Obſerv. Anat. in Oper. omn. pag. 418.

animadvertit. Hæc cautela non minus attendenda mihi videtur in iis obſervationibus, quæ exſtant de inæquali numero coſtarum in utroque ejusdem hominis latere, quales invenimus apud COLUMBUM (φφ), RIOLANUM (χχ), BARTHOLINUM (ψψ), BOEHMERUM (ωω), Aliosque, qui tredecim in uno, duodecim in altero, latere inventas eſſe ſcribunt. Forte non minus notabilis eſt illa monela in iis exemplis, quæ apud Anatomicos proſtant de ſex vertebris lumborum, abſque memorato coſtarum numero aucto.

§. X. Coſtas non tantum numero & longitudine, ſed & diverſiſſima fabrica ludere, Anatomicorum obſervatis conſtat: nonnunquam viſuntur, quæ poſterius duæ erant, anterius coadunatæ, quales ſæpius vidiſſe memini, & obſervarunt cl. HUNAULD (ααα), atque AL. MONRO (βββ): alias, quæ una eſt a poſteriore parte, anterius abit in duas, qualem (cum duabus priori fabricæ ſimilibus) exhibent Academicæ Annotationes (γγγ). I°. Eſt mihi coſta adulti hominis quarta dextri lateris, quæ in ſuæ partis oſſeæ extremitate lateſcit ſenſim, tandemque dehiſcit in duos proceſſus, tertiam fere pollicis partem longos, a quibus duæ

 inci-

(φφ) De Re Anatom. Libr. I, Cap. XIX.
(χχ) Comm. in GALENUM de Oſſ. Op. omn. pag. 499.
(ψψ) Anat. reform. pag. 742.
(ωω) Libr. cit. pag. 252.
(ααα) Libr. cit. *pag.* 535, *Tabl. XVIII*, *fig. II.*
(βββ) Libr. cit. pag. 225.
(γγγ) Libr. II, Cap. XIII, Tab. VII, fig. VIII.

incipiunt partes cartilagineæ, pollicem fere longæ, convergentes, ſubitoque confluentes in unam cartilaginem, quæ acuminato fine inhæret oſſis pectoris loco ſolito. II°. Similem mihi, in coſta dextra quinta, ſiſtit obſervationem truncus ſceleti infantis, annum circiter nati. III°. In cadavere juvenis, quod nuper diſſecui, talem fabricam inveni locum habere in utriusque lateris coſta quarta, cujus thorax, earum ob latitudinem, majorem poſſidebat longitudinem, quam corporis proportio requirere videbatur. IV°. Aſt multo rarior, & apud nullum Auctorem a me lecta, habenda eſt memorabilis obſervatio coſtarum quatuor, in medio ſuo corpore mobilium, quas A. CIↃIↃCCLIX exhibuit vetulæ ſeptuagenariæ cadaver, ab egregiis nonnullis Medicinæ Studioſis in proprios uſus diſſectum, quorum unus J. HESHUSIUS, in ſcripto periodico (δδδ), illarum deſcriptionem edidit: cui quum delineatio non ſit adjecta, congruum duxi, talem hic apponere in Tab. VII, fig. IV, qualem ipſe in recenti cadavere obſervavi, atque in liquore etiamnum conſervo. Eſt nempe hæc coſta octava ſiniſtra, quæ cum ſocia ſua ſeptima & ſexta, nec non cum ſexta dextra, in media fere oſſea parte oſtendit ſingularem articulationem, quam ſynchondroſin appellare poſſis, quæ ſingulis earum recentibus inſignem ſuppeditabat mobilitatem. Utraque pars oſſea earum, quas examina-

(δδδ) Cui titulus eſt, *Uitgezogte Verhandelingen &c. 't Amſt. by F. Houttuin*, *IV Deel*, *pag.* 242.

navimus, coſtarum, denticulis & ſinuoſitatibus gaudebat, quibus reſpondebant margines cartilaginis interjectæ, eundem fere in modum, quem in oſſium pubis conjunctione videmus, niſi quod denticuli parum longiores & acutiores eſſent. Cartilago iis interpoſita, unam circiter pollicis lineam craſſa, in cava hujus coſtæ parte aliquantum prominet (*e*): hanc, ſimul & coſtæ margines, cartilaginem tangentes, inveſtit capſula membranoſa (*ff*), totum quidem articulum circumdans, aſt in hac mea coſta non laxe ipſi adhærens, ſed perioſtio continuata. Ex qua deſcriptione, atque longe dilucidius ex ipſius objecti intuitu, patet manifeſte, ſingularem hanc quatuor coſtarum decrepitæ vetulæ fabricam non habendam eſſe, pro morboſo vitio, a fractura illarum non conſolidata, ſimilive alia cauſa, originem capiente; ſed potius debere haberi pro luſu Naturæ in oſſificationis opere, qualem etiam minorem perfectionem in oſſibus aliis longis quandoque obſervatam fuiſſe, teſtantur anatomicæ obſervationes, interque illas rariſſimum illud, quod in Theſauro rariorum Regis Galliæ exſtat rachitici ſceletum (eee), cujus humerorum, cubitorum, femorum, & crurum oſſa haud abſimilem exhibent in media ſui parte fabricam.

§. XI. *Os Pectoris* varietatibus nonnunquam ſubjectum

 eſſe

(eee) Vid. *Hiſtoire Nat. gen. & partic. avec la deſcr. du Cabinet du Roy, Tom. III, N. CXXXII, Planch. I.*

esse, testantur Anatomicorum lites de numero partium illud componentium, atque cartilaginis ensiformis formatione. Præter varia, quæ in his quoque diversa mihi occurrerunt, vidi; I°. Sterno, cui tantum septem veræ costæ solent adnecti, utrimque octo fuisse sinus, totidem costas recipientes, ita ut sinus supernumerarius insculptus esset parti inferiori sterni (conf. §. VII, N. II). Qui numerum costarum auctum descripserunt, fere omnes nihil memorant, de numero costarum verarum: similem tamen meæ observationem video in Actis Edinburgensibus descripsisse J. GEMMIL (ζζζ). II°. Possideo etiam os pectoris, quod in media sua parte, versus hujus extremitatem inferiorem, habet foramen insigne, quartam circiter pollicis partem longum, & unam fere lineam cum dimidia latum, ovalis figuræ, satis conveniens cum eo, quod delineavit EUSTACHIUS (ηηη): cui fere simile in splendido suo opere proposuit celeb. CHESELDEN (θθθ): talia etiam memoravit cl. BERTIN (ιιι).

§. XII. In *Osse Sacro* nonnullas quoque differentias observavi. I°. In illo osse sacro, quod §. VII, N. III memoravi, dantur vertebræ spuriæ sex, ideoque in utroque ejus latere dantur foramina quinque, exitui nervorum destinata: prætereaque in parte ejus posteriore, loco canalis ossei,

(ζζζ) *Medical Ess. and Observ. &c. Vol. I, Part. I*, §. *XXIII.*
(ηηη) Tab. Anat. XLVII, fig. XVIII.
(θθθ) *Osteographia, or the Anat. of the Bones, Tab. XXI. fig. II.*
(ιιι) Libr. cit. *Chap. XXI, pag.* 175.

ſei, caudæ equinæ parti continendæ deſtinati, datur ſinus (qualem etiam obſervavit PHIL. VERHEYEN (κκκ)) totam oſſis convexi longitudinem occupans, natus a deficientibus vertebrarum ſpuriarum proceſſibus ſpinoſis (excepta ſuperiore) omnibus. II°. Alterum mihi eſt os ſacrum ſceleti feminei, in quo itidem ſex vertebræ ſpuriæ, & utrimque foramina quinque, adſunt. In ambobus ſceletis ſolitus adeſt verarum vertebrarum numerus. Talia oſſa ſacra depingere olim placuit PAWIO (λλλ), & nuper ALBINO (μμμ). III°. Eſt denique mihi aliud os ſacrum adulti hominis, quod, rariore exemplo, tantum compoſitum eſt vertebris ſpuriis quatuor, ideoque foraminibus etiam tribus, pro emittendis nervis, utrimque eſt inſtructum.

§. XIII. Ea, quæ in *Artubus*, tam *ſuperioribus*, quam *inferioribus*, diverſa inveni a ſtructura oſſium ſolita, neque multa fuere, neque adeo memorabilia, ut ſingulari expoſitione eorum mentionem hic facere velim. Semper mecum miratus fui, Naturæ conſtantiam in hisce oſſibus formandis majorem, quam in illis, quæ ad ceteras Sceleti humani partes pertinent, obſervari.

(κκκ) Corp. hum. Anatom. Tract. V, Cap. IX, pag. 310, 311.
(λλλ) Libr. cit. pag. 96.
(μμμ) Acad. Annot. Libr. IV, Tab. VII.

C A-

CAPUT XIV.

Continens ea, quæ circa Irritabilitatem, & Sentiendi facultatem, partium Animalium expertus ſum; nonnulla ad Hiſtoriam agitatæ Litis pertinentia, &c.

§. I.

Quum mihi arduum ſemper viſum fuerit opus, magnorum, quique de Arte optime meriti ſunt, Virorum ſententiam rejicere, quam in experimentis a ſe captis fundatam, putant; imo grave & moleſtum etiam ſoleat haberi, talem diſſenſum publice exponere; mirum nulli videbitur, quod longo tempore dubius animus mihi hæſerit, in iis, quæ Capite hocce exponenda ſunt, hic apponendis, vel omittendis. Exorta ſcilicet noſtris diebus, & maxime inter Viros celeberrimos agitata, fuit lis, num omnes corporis humani partes Irritabilitate & ſentiendi facultate (quam Senſilitatem appellant) polleant, nec ne: dumque rem obſervationibus & experimentis, in viventibus animalibus captis, dirimendam, utriusque opinionis Fautores putarunt; eventus fuit eorum, ut etiam hodie diviſos teneat Obſervatores ipſos, atque dubios imprimis reddat illos, quibus animalium vivorum ſectio crudelior

vi-

visa fuit, & inquirendæ veritatis via minus trita. Fateor, me non nescire, plerosque horum non valde dubitare, assensum suum præbere Viro gravi, cujus merita summopere veneror, atque hanc non levem scrupulum, in experimentis meis edendis, posuisse rationem: sunt tamen, rei ipsius dignitas, amor veritatis, atque aliæ etiam caussæ, quæ me permoverunt, ut ea, quæ me, inter primos nostri temporis, expertum esse de partium viventium Motu atque Sensu, non pauci jam noverunt, tandem in publicam emitterem lucem: nihil quidquam minus acturus, quam hisce vel minimam alterius famæ, aut fidei, læsionem intendere, sed modeste ea usurus libertate, quam in re problematica inquirenda cuilibet homini propriam esse, nemo Philosophorum, aut Medicorum, inficias facile iverit.

§. II. Fuisse me inter primos, qui nostris diebus incubuerint in indagandam vivarum partium Irritabilitatem, & Sentiendi facultatem, ex simplici & fideli rerum factarum narratione historica, plurimorum Virorum, etiamnum viventium, testimonio haud caritura, facile apparebit. Cum nempe A. CIƆIƆCCLI, Disciplinæ Medicæ addiscendæ ergo, in celebri Academia Lugduno-batava degerem, contigit, ut suam *de Irritabilitate* dissertationem, in Academia Gottingensi ederet, cl. J. G. ZIMMERMAN: qua experimentis, in vivis animalibus captis, comprobare annitebatur, partes varias

animalium, hominumque, plane destitui irritabilitate & sensilitate; easque tales, quibus usque in illud tempus, unanimi fere ore, illas vires insigni gradu insidere, asseveraverant summi Artis Medicæ Antistites, æque veteres, quam recentiores: illas enim inter reducebat Periostia, Duram Piamque Matrem, Ligamenta, Tendines, Aponeuroses, Membranas. Eodem tempore a celeberrimis in Arte Medica Præceptoribus, sæculi hujus ornamentis semper futuris, edocebar, earumdem partium insignem esse vim movendi & sentiendi; ex hac imprimis deducere facultatem exercendi functiones, corpori hominis, aliorumque animalium, proprias; exinde phænomena, & effecta, quæ læsiones earum sequerentur, explicare; affectiones maxime dolorosas, spasmodicas, convulsivas, ex ejus enormitate ortas, mitigare; nec non illarum partium vulnera, lacerationes, & quascunque irritationes, in morbis chirurgicis, sedulo evitare. Ita inter illos præcipue docebat celeb. FRED. WINTERUS, irritabilitati & sensilitati partium adscribens primarios, æque in sanitate, quam in morbis, corporis humani affectus (α).

§. III.

(α) Liceat mihi, hac opportunitate, debitas persolvere grates piis manibus optimi hujus mei Præceptoris, dein Fautoris, denique Amici integerrimi, cujus præmaturum obitum mecum lugent etiamnum omnes Boni, qui Optimi Viri probitatem, candorem, ceteramque virtutem, noverint; qui amicitiæ ejus integritate fruiti fuerint; qui perspectum habuerint, quanto cum ardore ad promovendos suorum discipulorum profectus, consilio & opera, ferri soleret. Non possum nem-

§. III. Quum vero memorata illa dissertatio non diu intra Gottingæ limites delitesceret, haud diu post, circa mensis Octobris initium, in limine suarum Prælectionum Pathologicarum, suos Auditores de novis illis experimentis monuit ill. H. D. GAUBIUS, ea semper fideliter exponere solitus, quæ utilia, aut nova, in arte salutari producerentur, atque Philiatrorum attentionem, & industriam, mererentur. Optimi hujus Præceptoris humanitas quum curiositati meæ stimulum adderet, non potui tunc a me impetrare, quin ulteriorem illius rei indagationem tentarem: adii itaque Virum clarissimum, rogavique, vellet mecum commu-

nempe, quin Ipsi vindicem eas, quas meritus est, laudes, ideo quod ex instauratæ irritabilitatis contemplatione ingentem utilitatem in Physiologiam, Pathologiam, & Praxin Medicam, redundare videamus. Ipsius enim laboribus & prælectionibus, super ea habitis, tribuendum est, quod nostro tempore insita illa partium viventium vis, diligentius inquisita, adque clariorem, quam antea, lucem redacta fuerit. Illa enim, quæ ex GLISSONII, BAGLIVII, BELLINI, HOFFMANNI, STAHLII, GORTERI, Aliorumque scriptis de Irritabilitate partium collegerat, tanto cum successu adhibuit in explicandis phænomenis sanis & morbosis corporis humani, ut dictorum Virorum nullus cum Eo comparari possit. Quumque ea palam sit professus, in Oratione inaug. *De Certitud. in Medicina Pract.* Franeq. 1747, pag. 81 & seqq., atque dein in Oratione inaug. *De Irritabilitate*, quam, nondum editam, A. CIↃIↃCCXLVII Leidæ habuit, illaque in prælectionibus tradita, ab Auditoribus Ejus promulgarentur; factum fuit, ut revera ansam suppeditaverit illis capiendis experimentis, quæ primum Gottingæ A. CIↃIↃCCLI & LII prodierunt. Præter fidem historicam mihi debitam, hæc etiam patent, ex Dissertationibus inauguralibus variorum clar. WINTERI Discipulorum, ante illos annos editis, v. g. I. LUPS *de Irritabilitate*, L. B. 1748; I. W. MANITII, *de Idiosyncrasia ex diversa solidorum C. H. Irritabilitate optime dijudicanda*, ib. 1749; M. HOUTTUIN *de Spasmorum Theoria*, ib. 1749; F. N. MARGGRAFF *de Febrium Natura in genere*, ib. 1749. &c: haud absimilia sunt, quæ ipse scripsit cl. ZIMMERMAN in Diss. *de Irritabilitate*, Gott. 1751; conferri etiam potest ill. HALLERUS in Comment. Soc. Reg. Gotting. Tom. II, pag. 115, aut in Ejus Oper. minor. Tom. I, pag. 406, ut et pag. 438, 439, & alibi.

municare ZIMMERMANNI Differtationem, ab HALLERO fibi miffam: cui voto facile omnino atque perhumaniter annuere Ipfi placuit. Illam Differtationem cum eram nactus, avide eam legi, perlegique, maxime miratus rei novitatem, atque fingularem differentiam ab iis, quæ hucusque omnium Medicorum animis inhæferant: conflictum percepi non levem inter auctoritatem fummorum Præceptorum, omniumque Auctorum, quos legere mihi contigerat, tum Medicorum, tum Chirurgorum, atque valorem experimentorum memoratorum, quæ mihi non absque cura inftituta videbantur, & robur accipiebant ab ill. HALLERI teftimonio, cujus merita in Anatomicis & Phyfiologicis jam tum fufpicere folebam, neque poftea magni facere defuevi. Utiliffima fodalitate academica mihi junctis gaudebam duobus commilitonibus, in hunc usque diem amicis meis integerrimis, fuæ diligentiæ & induftriæ præmia haud vulgaria nactis, celeb. nempe D. VAN ROYEN M. D. & Botanices Profeffore ordinario in Academia Lugdunobatava, atque cl. J. TAK M. D. Practico Lugduno-batavo, Tractus Rhenolandici Medico ordinario, & Societatis fcientiarum Batavæ, quæ Harlemi floret, Socio digniffimo: quibuscum me una quævis exercitia academica pertractaffe, lætus femper reminifcor. Mirabantur hi mecum fingularem, & inauditum, illorum experimentorum eventum. Una nobis fedebat mens, ut nulli cederemus auctoritati, aft po-

potius ipſi obſervaremus, quid veri, quid falſi, continerent antiqua, aut nova, ſcripta. Ad experimenta itaque, in vivis animalibus inſtituenda, nos accinximus, eaque aliquoties inſtituimus horis ſubſecivis, aliorumque ſtudiorum vacuis. Ex ſchedis meis, durante ipſo experimentorum noſtrorum labore fideliter conſcriptis, tradam illas obſervationes, quæ in quatuor Canibus nobis occurrerunt, & eodem tempore celeb. Gaubio & Wintero exhibitæ ſunt, neque ignotæ permultis, tum Exteris, tum Noſtratibus, Medicis, qui A. cIↃIↃccLI & LII in alma Lugduno-batava Academia Medicinam didicerunt.

§. IV. A. d. x Octobris cIↃIↃccLI adhibuimus Canem femellam catulientem: hanc, pedibus quatuor expanſis, abdomini incumbentem, capite libero & mobili relicto, alligavimus aſſeri: ejusque varias partes irritavimus, vel ſcalpello, vel tenacula, vel oleo vitrioli fortiſſimo. Præter dictos Socios adfuit quoque experimentorum teſtis cl. F. Klanke Muſcovia Ruſſus. Vidimus in hac ſequentia phænomena. I° Exper. Epicranio, muſculo temporali, & pericranio, ſcalpello, aut oleo vitrioli prudenter adhibito, tactis, animal clamore maximo dolorem indicavit. II°. Cutis a capite detracta, & interius oleo vitrioli irritata, in rugas inſignes contracta fuit. III°. Cum cranium ope trepani perforaretur, ſatis tranquilla erat canis: quamprimum vero corona trepani os penetraverat in ſummo capite, ejusque dentes

tes Duram laceſſebant Matrem, mox illa vehementer ejulavit, ſummique doloris præbuit indicia. IV°. Remoto dein oſſis perforati ſegmento, jamque ſatis iterum quieta canicula, cum nudam duram matrem ſcalpello acuto irritabamus, ſtatim vehementes clamores edidit: idem quoque contigit ab oleo vitrioli applicato: cumque dein aqua frigida ad eluendum oleum vitrioli admovebatur, iterum alta voce moleſtiam inde natam indicavit. Hæcque phænomena in capite plus ſemel fuere obſervata. V°. Cute detracta de femore ſiniſtro, & vagina aponeurotica muſculorum olei vitrioli ſtimulo irritata, canis perquam ejulavit, totumque crus convulſum fuit. VI°. Nervus dein cruralis tenacula, ſeu volſella, prehenſus, compreſſus, citiſſimos & violentos clamores, nec non per totum corpus convulſiones, excitavit. VII°. Tendine quoque Achillis denudato, tenacula prehenſo, compreſſo, ſimilia prorſus apparuere, ſed non adeo violenta, quam a nervo affecto, ſymptomata: ejuſdemque tendinis diſſciſſi extremum, oleo vitrioli tactum, in animalculo denuo clamores, imo convulſiones, produxit: neque ſemel tantum, ſed iteratis vicibus, hic experimenti evenit effectus. VIII°. Membrana celluloſa hic loci protracta, & oleo vitrioli irrorata, conſtricta fuit, uti ubique de celluloſa contigit: quod non aliunde, quam a vi chemica irritamenti deduximus: hanc vero irritationem ſequuta eſt cruris convulſio, haud dubie a nervulo

in

in ea delitescente. IX°. Aponeurosis musculorum abdominalium stimulo chemico tacta dolorem quoque excitavit, quem clamore exhibuit canis. X°. Aperto abdomine, Vasa Lactea in intestinorum superficie, & mesenterio, pulcerrime in conspectum prodibant, lacte plenissima, quod ante mactationem ingesserat animal. XI°. Tum vero Intestinorum motus peristalticus a nemine observari potuit, quamvis sat alacris adhuc foret canis. Sed Intestina Crassa, cum oleo vitrioli ea irritabamus, violenter contrahebantur, indeque totum animal vehementissime convulsum fuit & commotum, ita ut viscera abdominalia torquerentur, & intestina magna vi ex abdomine prorumperent. XII°. Vesica urinaria irritata, aliquid convulsivi motus, non tamen magni, monstravit. XIII°. Ab admota vitrioli oleo madida plumula ad Vesiculam felleam, convulsiones nascebantur vehementissimæ, totumque Hepar exin deorsum versus cystidem contorqueri, ejusque margines variis figuris introrsum incurvari, vidimus: ipso autem hoc viscere jam prius irritato, nulla manifesta erat ipsius constrictio. XIV°. Neque ab attacto Rene multum mutationis, aut motus, in hac parte observavimus. XV°. Intestinum Colon, nunc iterum oleo vitrioli irritatum, vehementem passum fuit constrictionem, totiusque fere cavi sui abolitionem. XVI°. Sic quoque Ventriculus, admoto oleo vitrioli, insigniter se contraxit. XVII°. Aperto denique

que Thorace, Pulmones oleo vitrioli tacti, ſeſe conſtringebant: dubium vero fuit, an vis chemica ſtimuli, an contractilis ſubſtantiæ, illam conſtrictionem produceret. XVIII°. Pleura, in moribunda jam canicula, oleo vitrioli tacta, novi iterum raucique clamores, novi motus, in animali orti ſunt: quum tamen olei pars tangeret ſimul partem muſculi Intercoſtalis, dubitavimus an a muſculi illius, an a pleuræ, ſenſilitate illi effectus producerentur. XIX°. Sed eodem tempore tactum Diaphragma nullam exſerebat amplius convulſionem, neque in morti proximo animali doloris indicia excitabat. XX°. Mortua jam canicula, & quieſcente jam corde, Œſophagus, mox ſupra diaphragma oleo irritatus, conſtringebatur, & lac cani ingeſtum, multo liquido dilutum, per fauces explodebat. XXI°. Ab irritatione quieſcentis Cordis, diu renovati ſeſe exhibebant alterni motus hujus organi: inque variis ſub cute muſculis, a morte animalis, manifeſta irritabilitas fibrarum comparebat. XXII°. Ab irritato Pericardio, nullam ſequi vidimus contractionem: quam antea etiam non excitaverat Peritonæi irritatio. XXIII°. Portio membranæ celluloſæ, pingui repletæ, exſciſſa, tabulæ impoſita, & oleo vitrioli illita, miros motus conſtrictionis, crispationis, & convolutionis, oſtendit, auxitque ſuſpicionem, quod hujus membranæ contractio non penderet ab irritabilitate. Mors animalis ulteriorem tunc impedivit perquiſitionem.

§. V. A.

§. V. A. d. XXIII Decembris CIↃIↃCCLI ad repetenda Experimenta, a. d. x Octobris instituta, adhibuimus Canem juniorem masculum: pro irritamentis, scalpellum, acum, & oleum vitrioli, multo dilutius, quam præcedens. Tumque apparuerunt sequentia. I° EXPER. Crurali nervo, & Achillis tendine, eodem modo, ac in priore, tenacula compressis, effectus oriebantur plane similes, cum summo animalculi clamore & motu: qui itidem apparuere, ab irritatione disscissi extremi tendinis. II°. In hoc generatim ab applicatione stimulorum ad Tendines, duram Matrem, Intestina, exteriores corporis alias, nec non abdominis, partes, sequebantur eadem phænomena, quæ in priore cane. III°. Irritatio tamen Vesiculæ felleæ, oleo vitrioli facta, in hoc nullum effectum manifestum producebat, qui adeo enormis fuit in præcedenti. IV°. Illa phænomena sensationis & irritabilitatis, quamvis manifesta, se tardius, longeque debilius, in hoc, quam in præcedente, cane exhibebant: quum enim in priore mox ab applicatione olei vitrioli succederent, in hoc per sat insigne temporis spatium applicatum manere debebat, antequam doloris signa, aut contractio partis, sequeretur; id quod majori olei vitrioli dilutioni adscripsimus. Hæc res imprimis patebat in admotione ejus ad Vesicam, lotio plenissimam; cui per insigne intervallum erat illitum, sine ulla constrictionis, aut doloris, nota: contractio nulla sequebatur,

nisi post apparentem ipsam olei vim chemicam, qua sensim urebat vesicam, & colorem ejus in flavescentem mutabat: tum autem hanc omnem urinam explodere, & in minimam se massam constringere, videbamus. V°. Similis mora intercedebat inter applicationem stimuli, ejusque effectum manifestum, in Intestinis, tum Tenuibus, tum Crassis. VI°. Propter maximum canis ejulatum, & inquietudinem, durante trepanatione capitis, cum forte in hoc cohibendo nimis arctatæ fuerant fauces, & impedita respiratio, canis, in agonem quasi mortis redactus, fere exstinguebatur: sed periculum nunc evadebat sat cito, dum per semihoram ab experimentis abstinuimus, & canem liberum sibi reliquimus, qui tum, liberam spirans auram, subito refectus, plane ad se redibat: post hanc vero reviviscentiam, in omni corporis parte miros horrores, rigores, tremores patiebatur, tales perfectissime, qui in paroxysmi febrilis initio ægros invadunt, quos etiam, dum clamabat, tremula, interceptaque, voce indicabat. VII°. In aperto abdomine Vasa Lactea, præcipue in Duodeno, valde conspicua erant, & quibusdam in tractibus intestinorum Motus Peristalticus manifesto observari poterat. VIII°. Ultra horæ quadrantem jam mortuo cani detracta cute, in Latissimo dorsi musculo observabam miros motus fibrarum, juxta se invicem, nunc huc, nunc illuc, contractarum, ad irritamentum auctos, per aliquod temporis spa-

ſpatium durantes: qui etiam in muſculo Cucullari, non autem in aliis, ne quidem in alterius lateris ejusdem nominis muſculis, comparebant. Propter animalis mortem, nullum in Thorace Experimentum fecimus.

§. VI. A. d. XII Martii CIↃIↃCCLII Experimenta fere eadem repetiimus in tertio Cane: adhibito iterum oleo vitrioli fortiore, ut de ſucceſſu experimentorum eſſemus certiores. Præter Socios ante memoratos, hiſce experimentis, Alios inter, interfuit Doct. Vir J. F. MARTINET, A. L. M. & Philoſ. Doct., nec non hodie Verbi Divini Miniſter Edamenſis, quem idoneum harum rerum teſtem abunde declaravit egregia Diſſertatio inauguralis (β). Phænomena ſequentia ſeſe nobis obtulerunt in hoc. I° EXPER. Cute capitis ſeparata, & oleo vitrioli tacta, conſtrictaque, animal tremore, & extenſione corporis atque membrorum, ſatis indicabat dolorem, quamvis neque in hoc, neque in ſequentibus nonnullis tentaminibus, clamorem ullum ederet. II°. Stimulatum porro Pericranium ope ſcalpelli, aliove modo, eadem excitabat effecta, paulo tamen vehementiora. III°. Chemicam irritationem aponeuroſeos muſculi Temporalis in dextro latere ſequebantur tremores totius corporis, tenſiones, aliaque manifeſta doloris maximi indicia: ſimiliter in altero latere: neque diſſimilia ſymptomata a diſſciſſa &

 di-

(β) De Reſpiratione Inſectorum. Lugd. Bat. 1753.

diſtracta oriebantur aponeuroſi: cum autem in dextro latere ipſi carnoſæ ſubſtantiæ diſſciſſi muſculi inſtillabatur oleum vitrioli, animal, & motu corporis, & clamore valido, ſummum exhibebat dolorem: idem experimentum, in muſculo alterius lateris tentatum, non eadem, imo vix ulla, excitabat ſymptomata. IV°. Ab aqua frigida ſuper has partes effuſa, moleſtiam tremore, motu, & clamore, nunc frequentiore, oſtendebat. V°. Inter perforandum cranium admodum inquietus & clamore moleſtus fuit, quod a vellicatione pericranii oriri nobis videbatur: cumque prima lamina oſſea erat perforata, inſigni rivulo ſanguis ex diploë profluxit. VI°. Aperto tum Cranio in ſiniſtra anteriore regione, juxta ſuturam longitudinalem, pulcre apparebat Dura Mater, ex qua multum ſanguinis ſtatim erumpebat, licetque hic applicatum vitrioli oleum continuo dilueret, doloris tamen maximi indicia, tam voce, quam corporis jactationibus, edebat canis; uti et, cum aqua frigida ad eluendum utebamur. VII°. Ut certiores foremus de Experimento, neque oleum vitrioli in cranii diploën diffluens, ibique nervulos irritans, accuſari poſſet tanquam dolorum illorum cauſa, qui ſic per vitium ſubreptionis duræ matri irritatæ male tribuerentur (γ), præter

(γ) Hanc Objectionem contra Experimenta noſtra priora fecerat doct. Petrus Asch, Petropolitanus, egregia ſua diſſ. *de primo Pari nervorum medullæ ſpinalis*, Gottingæ 1751 edita, notiſſimus Halleri diſcipulus, & Experimentorum ſocius: qui tum Lugduni Batavorum degebat.

ter ſtimulum ſcalpelli, acuſque, adhibuimus aliud irritamenti genus, a tali objectione immune futurum, ferreum nempe ſtilum ignitum. Hunc itaque, aliquoties jam ope olei vitrioli irritatæ, parti duræ matris admovimus, unde nullus effectus ſequebatur. VIII°. Alteram vero cum faciebamus cranii aperturam, a latere dextro prioris, & ipſo momento, quo oſſea lamina removebatur, eodem ſtilo ignito duram matrem tangebamus, ecce! quam vehementiſſime clamitabat animal, corpus multum jactabat, membra torquebat, & ſummopere convellebatur: caudam imprimis extendi, erigi, diſtorqueri, vario modo quaſſari, obſervabamus. IX°. Eidem aperturæ inſtillatum vitrioli oleum nova doloris ſigna excitabat. X°. Altera dein vice ignitum ferrum applicatum exſerebat effecta prioribus ſimilia: omnia denique, quæ in hac parte inſtituebamus tentamina (eaque de induſtria plura fuerunt), membranae hujus ſentiendi facultatem manifeſtiſſime indicabant. XI°. Per duo memorata cranii foramina, ad quemcunque exſpirationis nixum, Cerebrum, una cum dura matre, manifeſto videbamus elevari, tumque ex læſis vaſculis majore copia erumpere ſanguinem, & bullas ab ingreſſo aëre excitari. XII°. Aponeuroſis muſculi Temporalis nunc rurſus, in alia parte, cauſtico chemico, & igneo, tacta dolorem adhuc excitabat, quem canis voce, motuque capitis & corporis, moleſtum ſibi eſſe, monſtrabat. XIII°. Ab irritatione

Peritonaei, per oleum vitrioli, maximi quidem motus, clamores, imo convulsiones, ortæ sunt; vix tamen dijudicari poterat, an non vicina quædam simul tangeret liquor acerrimus. XIVo. Ulterius aperto abdomine, Intestina ilico magna vi prorumpebant, & Vasa Lactea in conspectum prodibant. XVo. Partes fere omnes abdominales vim acris olei passæ, similia effecta, ac in prioribus canibus, exhibebant: imprimis autem hic valide constringebatur Ventriculus, ut & Vena Cava: Vesicula fellea in hoc animali chemice iterum irritata, valde quidem se contrahebat, non vero excitabat enormia ista symptomata, quæ in priore cane comparuerant. XVIo. Pleuræ irritationem a parte exteriore explorare, eoque fine ab hac removere musculos Intercostales, ita ut plane nuda foret illa membrana, animus erat: quum vero alacriter admodum animal viveret, corpus jactaret, validissime respiraret, sicque sursum deorsum magna vi moveret costas, frustra id tentabamus: dein vero Thoracis cavitate sinistra aperta, dum canis per alteram, illæsam, spiritum adhuc trahebat, a parte interna oleo vitrioli tacta pleura summos dolores inducebat, nam vehementer statim clamabat, perque totum corpus convellebatur canis, ita ut in hocce experimento subito urinam evacuaret, constricta per consensum Vesica, quam huc usque intactam reliqueramus. Repetitione fuit hoc Experimentum confirmatum. XVIIo. Irritationem Pericardii mani-

nifesta quidem, & oculis conspicua, sequuta est constrictio: hæc tamen urenti potius stimuli acrimoniæ, quam vi ejus irritabili, tribuenda videbatur. XVIIIº· Oleo vitrioli Nervum diaphragmaticum tangente, validissimi Diaphragmatis, totiusque corporis, sequebantur motus convulsivi. XIXº· Intestina, mortuo jam cane, per longitudinem aperta, nihil fere in suo cavo continebant, nisi versus Crassorum finem: superius imprimis in Duodeno latebat multum liquoris viridis, spumosi, in bullas acti, biliosi, verisimiliter, propter cystidis constrictionem, copiosius eo effusi. XXº· Aperta hæcce Intestina, quamvis jam per quadrantem horæ mortuus foret canis, irritabilitatem tamen adhuc commonstrabant variis constrictionibus, flexuris, incurvationibus. Experimenta in Tendinibus persequi, vetuit mors.

§. VII. A. d. XXII Martii CIↃIↃCCLII denuo instituimus illa Experimenta, eo quod, præsentia sua fidem & robur ipsis suppeditare, placeret optimo Præceptori F. WINTERO: eumque in finem Canem adhibuimus pro experimento, oleum vitrioli, stilum ignitum, scalpellum, tenaculam, pro irritamentis: animal solito more asseri alligavimus: ad Tendines & Duram Matrem in hoc subjecto fere tantum fuimus attenti. Iº· EXPER. Tendo Achillis cute denudatus, & scalpello, aut oleo vitrioli, irritatus, talia sensilitatis exhibebat indicia, ut nulli de hac dubitaremus. IIº· Sensilitas in Du-

Dura Matre non adeo manifesta omnino erat, quam in pæcedenti cane: cum nempe cranii perforatione denudata fuit, comparuit in illa arteria insignis, per trepani coronàm læsa, producens continuo magnam, neque cohibendam, sanguinis effusionem; unde factum fuit, ut stimuli chemici, igneive, applicati vel diluerentur sanguine, vel exstinguerentur, suamque vim & acrimoniam perderent prius, quam ipsam attingerent membranam, unde eorum ope sensationem duræ membranæ vix observare nobis licebat. IIIº. Denudatam vero Duræ Matris regionem cum transscinderemus, & separatas ejus lamellas tenacula comprimeremus, protraheremus, talesque vellicationes aliquoties repeteremus, manifesto iterum clamore, & motu insigni, molestiam inde natam indicabat canis: quo experimento ipse usus etiam fuit cl. WINTERUS. Dein hæmorrhagia illa ingens subitaneam magis, quam exspectaveramus, produxit animalis mortem, & observationum terminum. Sunt hæc, quæ primum Leidæ fecimus tentamina, de partium vivarum vi irritabili & sentiente: eaque haud diu post (nisi fallor) cum ill. HALLERO fuere communicata.

§. VIII. Sequenti ejusdem anni autumno, cum memoratis duobus Amicis, Parisios profectus, parum de Experimentis nostris cogitabam, totus Arti Chirurgicæ, atque Obstetriciæ, addiscendæ deditus, cum aliquo die in Diario Erudi-

ditorum legerem Zimmermannianæ dissertationis recensionem, simulque additum cernerem, clar. GRANDCLAS, Medicum Parisiensem, recensita experimenta repetiisse, & in vivis animalibus Duræ Matris facultatem sentiendi manifesto observasse, eumque in animo habere ea tentamina ulterius persequi, & cum magna cautela denuo instituere (δ). Adiimus itaque haud diu post Virum hunc expertissimum, eique similitudinem nostrorum experimentorum cum suis indicavimus: nobis invicem communicavimus, quæ ab utraque parte scriptis mandata erant: ex quibus patuit, illius Medici prima tentamina facta fuisse a. d. XXV Januarii CIƆIƆCCLII, & in schedis ejus, quas etiamnum asservo, plurima contineri, quæ sentiendi facultatem Duræ Matri, & Tendinibus, vindicabant, nostrumque dissensum ab experimentis Gottingensibus confirmabant: continebant autem & alia, in quibus sensationis indicia, ab irritatione earum partium, non adeo observata erant: qualia etiam a me memorabuntur. Edocti dein, Parisiensem Medicum LORRY similia tentamina instituisse, hunc quoque convenimus Virum clarissimum, qui perhumaniter ea, quæ expertus jam tum erat, nobis exhibuit descripta: ea autem quum postea, insigni observationum numero aucta, ipse publice exposuerit in Diario

 ario

(δ) Vid. *le Journal des Scavans, mois de Septembr.* 1752, Edit. Paris. pag. 1881: *Octobr.* 1752 Edit. Amstelod. pag. 76.

ario Gallico Medico (ε), haud opus eſt hoc loco illa repetere.

§. IX. Prodierat interea ſecundus tomus Commentariorum Societatis Regiæ Gottingenſis, inque hoc ill. HALLERI diſſertatio de partibus corporis humani ſenſilibus & irritabilibus, qua ipſe hic Vir meritiſſimus Novorum Experimentorum auctorem & aſſertorem palam ſeſe declarabat, eaque longe majore numero, a ſe ipſo inſtituto, confirmabat. Non mirum, quod inde ſumma admiratione, & incertitudine quadam, denuo afficeremur, neque minus tamen incitaremur omnes, ut una obſervaremus, quid Natura oculis noſtris ſubjiceret. Hinc paulo poſt, ſcilicet a. d. x Maji CIƆIƆCCLIII, Experimenta a me inſtituta ſunt Pariſiis in Cane, ſimili plane modo, ac de præcedentibus dictum fuit: præſentibus Doct. GRANDCLAS, J. TAK, & duobus Studioſis Medicinæ Gallis. In EXPER. I° obſervabamus, Canem, qui poſt vincula injecta ſatis tranquillus erat, a diſſectione Cutis, ilico oſtendere dolorem, ſuo clamore & jactatione corporis. II°. Separatio Membranæ celluloſæ, a tendine Achillis, multa doloris ſigna non excitabat. III°. Scalpelli cuſpide in ipſam Tendinis ejusdem ſubſtantiam adacta, ſtatim vehementer commovebatur, & clamabat, animal. IV°. Idem iterata vice contingebat. V°.

(ε) Vid. *Recueil periodique d'obſerv. de Medecine &c. Tom. V, Mois de Novembr. & Decembr.* 1756, *& Tom. VI, Mois de Janv.* 1757: conf. Comment. de rebus in Scient. nat. & Med. geſt. Vol. VII, pag. 483, 484, & 488.

V°. Non minus inſignia ſymptomata naſcebantur poſt irritationem memorati tendinis, ope olei vitrioli factam: idemque experimentum, ter repetitum, eundem exhibebat eventum. VI°. In denudando alterius pedis tendine, majorem a ſeparatione membranæ celluloſæ dolorem obſervabamus. VII°. Ab irritatione hujus Tendinis (qui, per prægreſſam ligaturam pedis, & compreſſionem ope tenaculæ factam, forte erat ſtupefactus) tantum dolorem, quantum in altero tendine, non oriri videbamus: licet nihilominus motu, & clamore, moleſtiam ſatis inſignem indicaret canis. VIII°. Ab irritatione aponeuroſeos muſculorum abdominis ſuper muſculum Rectum facta, multum doloris non oriebatur: quemadmodum etiam aliæ illius aponeuroſeos partes irritatæ non majorem ſenſum excitare videbantur. IX°. Muſculi abdominales, dum ſua membrana adhuc tecti erant, a ſtimulo applicato nihil magis exſerebant. X°. Cum autem per aponeuroſin in muſculum Rectum adigeretur ſcalpellum, maxime clamabat animal, imprimis cum hujus pars ſimul cum aponeuroſi diſſcinderetur: ſimiliter, imo vel magis, cum oleum vitrioli ad ipſam muſculi ſubſtantiam applicaretur. XI°. Repetitio in altero latere non eadem omnino exhibebat phænomena. XII°. Aperto abdomine, irritata per oleum vitrioli Inteſtina maximas turbas in animali, & immanes clamores, producebant. XIII°. Eodem cauſtico ad Ventriculum admoto, ſimilia apparebant ef-

fecta: hæcque ſimul pars mirabili conſtrictione in parvam molem contrahebatur. XIVo. Vulneribus thoraci inflictis, adeo magnis, ut pulmones ab aëre, glottidem intrante, non poſſent extendi, reſpiratio fieri amplius non poterat, & ſuffocatio canis inſtabat. XVo. Quamprimum vero ea vulnera claudebantur exacte, animal reſpirationem denuo peragebat, & reviviſcebat. Propter aliorum experimentorum in hoc ſubjecto incertitudinem, in ulterioribus tentaminibus tunc ſubſtitimus.

§. X. Hæc quum ita nobis ſæpius obveniſſent, atque aliunde mihi quoque conſtaret, ſimilem diverſitatem in aliorum Virorum, fide haud indignorum, periculis fuiſſe obſervatam, dein eodem anno in patriam redux, & Doctoratus gradum ambiens, ardore quodam juvenili incitatus non potui a me impetrare, quin inter varias Theſes, ad calcem diſſertationis meæ inauguralis (ζ) adnexas, publice in Academia Lugduno-batava, a. d. XIX Octobris, defenderem earum XLIX, qua ſtatuebam, „ Experimenta „ noviſſima nondum determinare, multas corporis humani „ partes non eſſe irritabiles, aut ſenſiles “: contraque eam tum ſtrenue diſputabat cl. J. A BRUNN, experimentorum Hallerianorum ſocius, &, Diſſertatione de Nervorum Ligatura defenſa, brevi antea in Academia Gottingenſi Doctor

(ζ) De Vermibus inteſtinalibus Hominum, L. B. 1753.

ctor creatus: præſens ſimul erat doct. P. CASTELL, jam tum, edito ſpecimine de multarum partium inſenſilitate, in hac lite haud ignotus.

§. XI. Haud diu poſt, Amicos meos inviſendi gratia, Trajectum ad Rhenum petii: nec potuit aliter fieri, quin inter ſermones de Rebus Medicis, ageretur etiam de Novis Experimentis, eoque, quem nunc publice propoſueram, meo ab illuſtris Viri placitis diſſenſu. Salutabam in hac civitate veterem meum commilitonem, & amicum, celeb. J. D. HAHN, nuper Profeſſoris Philoſophiæ munus in Academia Trajectina, ſumma cum laude, auſpicatum: qui, quum HALLERI experimenta vidiſſet, atque defenderet, non leve mihi dubium contra propriam excitabat experientiam. Inſtabant tum Amici mei, ut experimenta repeteremus: ſicque factum fuit, ut ibi, a. d. XXX Octobris CIↃIↃCCLIII, in duobus Canibus nova tentamina inſtituerentur, adſtante cl. HAHNIO, & præſentibus nonnullis præſtantiſſimis Medicinæ Studioſis, inter quos nomine citaſſe ſuffecerit doct. G. VAN VIANEN, egregium Virum, præmaturo fato Arti ereptum, atque cl. JO. OOSTERDYK, Practicum Amſtelodamenſem egregium. In priore Cane, qui ſatis alacer atque malignus erat, maxima tamen meticuloſitate afflictus, (tanto forſan magis, quod quatuor pedibus tabulæ alligato, os ipſi ope funis obſtringeretur, & ab adſtantibus cervice continuo retineretur), apparebant ſe-

ſequentia. I° Exper. Cutis cum de pede ſiniſtro poſteriore, ſuper chordam achilleam, partim ſcalpelli, partim forſicis, ope ſepararetur, cum omnium admiratione videbamus, nec motu corporis, nec voce, ullum ab eo dolorem indicari: imo, durante toto diſſectionis tempore, ne quidem ad ſe trahebat extenſum crus. II°. Tendo Achillis denudatus, ſcalpello, oleoque vitrioli, irritatus, nullum quoque clamorem excitabat: idem experimentum, altera vice inſtitutum, nihil plus ſenſilitatis excitabat. III°. Compreſſio ejusdem tendinis, per tenaculam facta, prima vice dolorem excitabat, ſed repetita nihil doloris exhibebat. IV°. Canis hic dein, vinculis ſolutis, pedi læſo ſatis bene inſiſtere, & procedere, poterat: non hilaris tamen, ſed maxime meticuloſus, in angulum aufugiebat.

§. XII. Alter Canis majusculus, jam ante martyrium valde meticuloſus, videbatur omni nota eſſe phlegmaticus: ita ut ne quidem opus eſſet, ipſum tabulæ alligare, ſi modo quis eum coërceret manibus. I° Exper. Cutis ſeparatio de pede poſteriore, ſuper tendinem Achillis, aliquem dolorem ei facere videbatur, quem tremore, & levioribus pedis contractionibus monſtrabat, nullam tamen vocem edebat, dolori refractarius. II°. Tendo Achillis cute denudatus, & tenaculæ ope iterata vice compresſus, in hoc nullum excitabat doloris ſignum, nullumque clamorem: e contrario obſervabamus crus, quod, dum cutis

tis ſeparatio fiebat, poſtque eam peractam, continuo leviter tremuerat, durante hac compreſſione tendinis omnino quieſcere. IIIº. Eodem mox tempore, repetita ſæpius compreſſio ipſius Cutis, nihil plus ſenſus, vel doloris, vel vocis, producebat. IVº. Tendo memoratus variis in locis ſcalpello punctus, inciſus, laceratus, & leviter diſtractus, aliquam ſenſationem & dolorem, videbatur commonſtrare, quia ſæpius crus ad ſe trahebat canis, licet nullum ederet clamorem. Vº. Tendo idem, poſt prægreſſam illam lacerationem, oleo vitrioli irritatus, nullum doloris, vel clamoris, ſignum efficiebat. VIº. Irritata quoque eodem liquore tum vicina Cutis lamina, nullam proliciebat vocem: quam non audivimus ab hoc animali edi, durante toto obſervationum tempore. VIIº. Canis dein liberatus, cruri quidem ſuo inſiſtere non poterat, quia dimidia ſaltem tendinis dicti pars transverſim ſecta erat, unde tribus pedibus in angulum ſe recipiebat; non tamen convulſionibus, ſimilibuſve, quæ tendinum læſioni adſcribi ſolebant, ſymptomatibus corripiebatur, ſed metu perculſus in eo remanſit quietus, reſpuens panis fruſta, quæ ipſi exhibebantur: quæ etiam prior devorare noluit. Circa duram Matrem, aliasve partes eorum animalium, tum non inſtituimus tentamina.

§. XIII. Porro, anni ſequentis initio, mihi ad hanc Academiam evocato, in muneris mei ingreſſu, ſupererat parum

rum otii aliena tractandi, atque in multis animalibus ulterius inquirendi, a quanam parte ftaret veritas. Cum tamen a. d. XXIV Maji CIƆIƆCCLIV primam Prælectionem meam academicam, de Circulatione fanguinis, nonnullis experimentis in vivo Cane, coram Studiofis, illuftrarem, fimul ad Tendinum fentiendi facultatem nonnulla tentamina direxi, eamque iterum mecum viderunt omnes, qui aderant, primi mei Auditores, quos inter optime meriti doct. J. GUMMER, M. VAN GEUNS, & J. GOUT, in hac urbe Medicinæ Praxin, infigni cum laude, nunc agentes, nec non clar. LUD. STENHUIS, M. D. Arte chirurgica infignis, eoque tempore conftitutus in hac Academia Medicinæ Prælector publicus, fato deinceps præmaturo e vivis ereptus. Paucis dein diebus elapfis, in Vulpecula, vivaci valde & fenfibili animali, me denuo priora noftra tentamina confirmata vidiffe, probe memini: doleo autem, quod hæc experimenta in chartam referre tum neglexerim. Omnia vero hæc facile me induxerunt, ut paulo poft in Sermone Academico inaugurali (η), a. d. XI Junii habito, publice enuntiarem, Experimentorum, quæ infenfilitatem Tendinum, aliarumque partium animalium, adftruerent, ingentem effe incertitudinem, „ quum recentiora tentamina, dictis partibus fenfilitatem fi non reftituiffent, merito

(η) De imprud. Ratiocin. ex Obferv. & Experim. med. Groning. 1754.

„ rito ſaltem earum inſenſilitatem in dubium vocaſſent:
„ eamque eventuum diſcrepantiam forte adſcribendam eſſe
„ diverſitati methodi, qua inſtituta illa erant in Germa-
„ nia, Hollandia, Galliaque &c. (9).

§. XIV. Aliis dein, magisque neceſſariis, exercitiis academicis, atque ſalutiferis, valde occupatum, experimenta de Irritabilitate & Senſilitate partium vix amplius me trahebant, tum quia mihi ſatis habere videbar ex præmiſſis, iiſque, quæ Alii inſtituerant, tum quia naturalis quædam a vivorum animalium ſectione averſio me impediebat, quominus plurima immolarem curioſitati, cui ſatisfacere videbantur expoſita mea pericula. Factum tamen poſtea fuit, ut doct. VAN GEUNS, in illud uſque tempus Auditor meus ſollertiſſimus, ſuam diſſertationem de Vita Corporea conſcripturus, & in ipſis vivis animalibus nonnulla exploranda eſſe merito judicans, aliquoties meam requireret præſentiam, cum tentamina ſua inſtitueret: tumque ſæpius in iis priſtina mea confirmata fuiſſe, vidimus. Enimvero eorum omnium exactam annotationem omiſi, parum tum opinatus, aliquando futurum, ut hæc in lucem prodirent. Inter chartas tamen adhuc meas reperio illius Medici manu notata Experimenta, quæ una fecimus, a. d. XXVI Februarii CIƆIƆCCLVIII, in Catella vix ablactata, quorum

(9) Vid. ibid. pag. 46 & 47.

Idem meminit in sua Dissertatione, quam sub meo præsidio, eodem anno, in nostra Academia, publice defendit (ι): hæc ita se habent. „ Exper. I° Dissectis integumentis, „ denudato Tendine Achillis cruris sinistri, eoque irritato, tenacula prehenso, cultello fodicato, acu transfixo, dolorem voce, atque cruris convulsionibus sat „ insignibus, significavit animal. II°. Repetiti sæpius ejus„ dem experimenti idem fuit eventus: notandum autem, „ irritationes tum demum fuisse institutas, quando dolo„ res prægressi jam sopiti videbantur. III°. Oleo etiam vi„ trioli ultimo tendinem eum attigimus, intenditque tum „ ejulatum animal: sed quia hoc ad partes musculosas, „ aliasque adjacentes, diffluere solet, dolorem istum solius „ tendinis affectioni non tribuere maluimus. IV°. Abdo„ mine inciso, visceribusque mox erumpentibus, Intesti„ na attentius inspecta hic ibi motum prorepentem con„ strictorium, ad fodicationes etiam intensum, monstra„ runt. V°. Lien, Hepar, Vesicula fellea, oleo vitrioli „ tacta, non contrahi visa sunt. VI°. Disscissis dein costa„ rum lateris sinistri cartilaginibus, sicque Thorace aper„ to, amoto pericardio, Cordis motus apparuerunt ma„ nifesti, sublata interim respiratione, ob collapsos pul„ mones. VII°. Tenacula tum Præceptor prehendit Ner„ vum

(ι) Vid. Diss. *de Eo, quod Vitam constit. in corp. animali*, pag. 12, not. τ, ubi eadem catella indigitatur.

„ vum diaphragmaticum, idque quoties fuit repetitum, toties valide convulsum fuit Diaphragma, imo & in consensum rapi videbatur ipsum Cor. VIIIo. Compresso eodem nervo, & infra compressionem acu stimulato, evidenter admodum se constrinxit diaphragma: non autem apparebat hic motus, irritatione supra locum compressum instituta: imo ipse hic locus brevi inutilis factus videbatur, qui irritatus motum in diaphragma propagarat. IXo. Stimulatione sensim propius ad diaphragma in eodem nervo instituta, continuo subitaneæ, validæque, sequutæ fuere convulsiones. Xo. Hisce sæpius repetitis, cum cor interim frequenter, atque vivide satis, suas pulsationes continuabat, ad egregium, atque evidens, phænomenon attendimus: ad Venam Cavam superiorem, Auriculam cordis dextram, & Cor ipsum, respicientes, in singulis istis partibus observavimus, non tantum distinctas inter se, & diachronas, contractiones, sed et eo ordine continuo se excipientes, ut primo vena illa, dein auricula, mox cor, contraheretur, successione nempe, qua sanguis ex uno in aliud excipulum promovebatur: & quidem, de quo dubitari forte posset, motus contrahens venæ adeo evidenter muscularis esse videbatur, tamque sæpe contractiones auriculæ, & cordis, ipsum continuo excipientes, præcedebat, ut omni plane dubio careret, illum

„ a repulſo ex cordis ventriculo ſanguine, venam diſten-
„ dente, non fuiſſe productum, quamvis etiam certo &
„ cor, & auricula, ſæpius abſque prægreſſa apparente
„ Cavæ conſtrictione, motibus agitari non ita regulari-
„ bus cernerentur. XI°. Cum jam diu thorax fuerat aper-
„ tus, notavimus, requiri aliquot repetitas Auriculæ con-
„ tractiones, antequam Ventriculi Cordis conſtrictio ſe-
„ queretur: quæ autem valde incitabatur, ſanguine veno-
„ ſo in ventriculum copioſius adacto, compreſſa etiam
„ vena cava prope vaſa iliaca. XII°. Occluſa arteria pul-
„ monali, non magna apparebat diverſitas. XIII°. Cordis
„ contractionis phænomena, dum adhuc ejus vita vige-
„ bat, accuratius obſervantes, ſubſtantiæ illius accurtati-
„ onem, ſeu apicis qualemcumque ad baſin adductionem,
„ nobis deprehendere videbamur. XIV°. Perforatione ven-
„ triculi & auriculæ anterioris facta, expreſſoque ſangui-
„ ne, motus cordis ceſſavit: quieverat autem jam prius
„ cor poſterius. XV°. Præterlapſa jam circiter dimidia ho-
„ ra, & quod excedit, cor exſcidimus, idque ad ſtimu-
„ lum diu ſatis fuit contractile. XVI°. Diaphragmate,
„ dum hæc gerebantur, ſcalpello laceſſito, fibræ ejus ſe
„ notabiliter in loco ſtimulationis, uſque ad centrum ejus
„ tendineum, contraxerunt, & accurtarunt: idque ſatis
„ diu. XVII°. Inteſtina quoque ad horam fere, poſt incho-
„ atam tragœdiam, ſtimulata ſe contraxerunt.

§. XV.

§. XV. Eodem anno, duobus exemplis, facultatem sentiendi Tendinum, in Homine probatam, vidimus in hac civitate. Prius ipse meis oculis lustravi, utrumque viderunt memorati jam Medici, GUMMER & VAN GEUNS, quorum ille (x), me rogante, sua manu scriptam mihi tradidit historiam sequentem. „ Miles gregarius W. K. quinquaginta annorum, „ A. CIƆIƆCCLVIII ex improviso corripiebatur paronychia, in „ ultimo digiti indicis dextræ manus articulo, eo cum effe„ ctu, ut, vulgaribus remediis variis applicatis, tertio die „ a mali initio auxilium imploraverit peritissimi J. VOLLIM„ HAUS, Legionis pedestris Stolbergianæ Chirurgi primarii. „ Inflammatio, & insequens gangræna, ad brachium jam „ proserpserant, & affecti imprimis digiti tegumenta eo us„ que jam consumta erant, ut ossa nuda ligamentis adhuc„ dum cohærentia, cum Tendinibus flexoribus, e reliquis „ facili negotio, & absque dolore, remotis, postero die mi„ hi, videndi causa adeunti, nuda plane apparuerint. Quo „ in statu ille Chirurgus, experimentum circa Sensilitatem „ instituturus, memoratos tendines acuta tenacula, variis „ in locis, leviter tentavit, & mecum maximam harum par„ tium sensilitatem, tum ex ægri clamore, tum ex inse„ quentibus, totum corpus permoventibus, convulsionibus, „ apodictice quasi demonstratam, agnoscere debuit. "

 § XVI.

(x) Qui sua diss. *de causa mortis Submersorum &c.* Groningæ 1761 defensa, idoneum se testem comprobavit.

§. XVI. Altera hiſtoria ſic ſe habet: „ Ejusdem anni „ menſe Majo, faber quidem lignarius G. B. annos viginti ſeptem natus, acuto inſtrumento, Tendinem Achillis „ ſiniſtrum, duos circiter pollices ſupra calcem, totum „ quantum præſcidit, ut mox valde a ſe invicem ſecederent vulneris labia, uti et tendinis diſſciſſi extrema. „ In auxilium vocatus cl. STENHUIS, antequam reductionem eorum, & reunionem, tentaret, in caſu hoc maxime opportuno, me præſente, periculum circa Senſilitatem facere voluit: eo cum effectu, ut in media parte abſciſſi tendinis, antea ſecundum longitudinem denudati, intruſa acu, & leviter applicato lapide infernali, „ dolores vehementiſſimi, cum convulſionibus terribilibus, „ mox inſequuti ſint, & nemo adſtantium alio experimento indiguerit, ut de ſenſilitate illius tendinis plenarie eſſet convictus. „

§. XVII. Omnia, quæ memoravi, Experimenta, per aliquot annorum inſequentium ſpatium, mihi videbantur otium facere in inſtituenda ulteriore hujus rei in vivis inquiſitione, eoque magis, quum indies viderem, ſatis multos in variis regionibus Viros, ſuorum tentaminum eventus, noſtris plane ſimiles, vidiſſe, & deſcripſiſſe: neque facile ad novum animalium martyrium induci me paſſus fuiſſem, niſi, in recentiſſimis ill. HALLERI ſcriptis, clariſſimi hujus Viri ſententiam, noſtris experimentis directe contrariam, tanta cum fiducia urge-

urgeri, & ea, quæ ab Aliis adverſus illam oppoſita ſunt, tam acriter refutari, nuper vidiſſem (λ), ut ipſe, dum per ſatis longum tempus animum, atque oculum, novis tentaminibus haud adhibuiſſem, fere incertus evaderem. Unde factum fuit, ut præterita æſtate denuo ad experiendum amor veritatis me deduxerit, tali præparatum animo, ut ambabus manibus contrariam meæ opinionem fuiſſem amplexus, ſi commiſſi antea erroris certiorem me reddidiſſent noviſſima experimenta, quæ ſequenti modo apparuerunt.

§. XVIII. A. d. XXIII Julii CIↃIↃCCLXIV Canicula junior, ad ſpeciem ſatis vivida, adhibita fuit: eam tamen, quoniam Adſtantium manibus facile coërceri poterat, non ligavi, ut certius judicari poſſet, de iis, quas indicaret ſenſationibus. EXPER. I° Cutem a pede poſteriore ſiniſtro, ſuper Tendinem Achillis, reſecabam, quo facto, ilico edidit inſignia doloris ſigna. II°. Eum tendinem exacte denudabam, atque ab adhærente membrana celluloſa liberabam, clamante interea valde animali. III°. Cum denudato tendini infligeretur ſcalpelli apex, ſumma cum prudentia, ut certus eſſem, nihil, præter tendinis ſubſtantiam, lædi, tam inſignia, tamque manifeſta, exhibebat doloris

(λ) Vid. Ejus Elem. Phyſiol. Tom. IV, Libr. X, Sect. VII tota, imprimis pag. 276 & ſeqq. 309 & ſeqq. ut et vel maxime in nuper editis Oper. Minor. Tom. I, pag. 330 & 331, nec non pag. 441 ad 482, imprimis pag. 473 & 474, & alibi.

ris ſigna, pedis retractione, capitis verſus affectum locum commotione, atque clamore, ut nullum ſupereſſet dubium de facultate ſentiendi in hocce tendine. IV°. Idem experimentum vigeſies ad minimum repetitum, ſemper eundem exhibebat effectum: licet cautiſſime obſervarem, ut canis ad quietem & tranquillitatem ſemper prius rediiſſet, quam nova irritatio inſtitueretur. V°. Guttula minima olei vitrioli ſatis fortis, adhærens cuspidi acus, neque ad alienas partes diffluens, ſimilem monſtrabat effectum, aſt multo fortiorem. VI°. Relaxata dein & dimiſſa canis de tabula, quatuor circiter pedes alta, deſiliebat, atque per cubiculum currebat, laceſſito tamen pede claudicans, eumque, cum in angulum ſe receperat, continuo lambens. Curavi, ut retineretur hoc animal, inque vita conſervaretur, viſurus, quid de eo fieret.

§. XIX. A. d. XXVIII Julii CIƆIƆCCLXIV eandem Caniculam novis ſubjeci tentaminibus: pes ſiniſter, fere ſanatus, ſatis bene inceſſum ei concedebat: in medio tamen priſtini vulneris Tendo Achillis apparebat nudus, cute nondum tectus. I° EXPER. Eundem tendinem vario modo, & prudentiſſime, qua nudus erat, irritabam ſcalpello, acu, oleo vitrioli, tenacula quoque comprimebam, videbamque, omnes hoſce ſtimulos magnam ſenſationem excitare, quam motu, jactatione, clamore, aliiſque modis, edebat canis. II°. Dein detrahebam cutem a Tendine Achilleo dextro: atque

atque membranam omnem cellulosam ab eo sollicite separabam: in quo peragendo multum clamabat animal. Noveram equidem hoc modo nimiam adhiberi cautelam, quum dissecando nervulos, qui in ea cellulosa delitescunt, et ad tendinem decurrunt, paralysi hujus, & insensilitati, ansa daretur; malui tamen Adversariis indulgere, quam objectioni locum relinquere, quæ toties fuit repetita, quod nempe apparens in experimentis sensilitas non adeo ipsi Tendini, quam nervis, in ambiente cellulosa decurrentibus, sit adscribenda. IIIo. Ita denudati Tendinis (quem notum est, in Canibus ex duobus conjunctis componi) partem externam ab interiore, soluta cellulosa, & interposita tenacula, plane separabam, ita ut repressa cutis nullatenus tangi posset: iisque cautelis præmissis, partem tendinis elevatam, nudissimam, irritabam scalpelli cuspide, & acu, videbamque similia omnino phænomena, qualia in alterius pedis tendine apparuerant. IVo. A compressione ejusdem, ope tenaculæ facta, similis erat eventus. Vo. Eaque experimenta constanter talem successum habebant, nisi ubi pars quandoque, per prægressam validam compressionem, minus sensilis facta esse videbatur. VIo. Ultimo adhibebam quoque minimam olei vitrioli guttulam, eamque, ne sua diffusione incertum redderet experimentum, ex acus satis tenuis cuspide, ad tendinem admisi, quo facto, enormem denuo motum, & clamorem,

excitabat canis: idemque contingebat, ubi applicabatur illi tendinis parti, quam valide jam compresseram tenacula, & scalpello laceraveram. VII°. In reliqua tandem tendinis parte, omnia effecta etiam manifestiora fuere: non semel, non bis, sed multoties, repetita. Hæc tentamina cum hora secunda pomeridiana erant instituta, iterum hancce caniculam liberavi, atque in angulum dimisi.

§. XX. Ejusdem diei hora vespertina sexta, coram nonnullis Studiosis, in Tendine Achilleo pedis dextri ejusdem Animalis, iterum manifesto apparuit sentiendi vis, tum compressione, tum scalpello, vel acu, vel alia irritatione, a me caute instituta: cujus phænomena, quia cum prioribus exacte conveniebant, haud necessarium duxi hic describere. Idque ita factum esse, eo magis mirabar, quod antecedentibus vellicationibus, aëris accessu, frigore, aliisque causis, non parum debilitatis contraxisse videbatur illa pars. Canis dein libertatem nacta, satis bene cum suis vulneribus aufugit.

§. XXI. Hora circiter tertia pomeridiana ejusdem diei, examini subjeci Canem majorem, album, externa specie satis phlegmaticum, non vero timidum, unde etiam nulla ligatura coërcitus fuit, sed Adstantium manibus facile cohibitus. Exper. I°. Resectio Cutis pedis sinistri dolorem ipsi excitabat. II°. Tendinem Achillis, bene a cellulosa denudatum, cauteque remotis cutis labiis, irritabam tena-

cula

cula acuta, acu, ſcalpello, eodem plane cum effectu, ac in præcedenti. IIIº. Tendinis ejus, per longitudinem ſecti, meditullium ſcalpello vellicabam, unde non minora ſenſationis phænomena oriebantur. Eaque omnia repetitis ſæpe vicibus ita obſervabamus. IVº. Irritatio Pericranii graves dolores producebat. Vº. Dolebat quoque Aponeuroſis muſculi Temporalis, ex cuſpidis ſcalpelli ſtimulo. VIº. Calvaria ope trepani aperta, Dura Mater nuda adſcenſum exſpirationi, deſcenſum inſpirationi, reſpondentem monſtrabat. VIIº. Irritatio ejus per ſcalpellum, acum, tenaculam, tam validos, & manifeſtos, in animali dolores excitabat, ut nunquam dilucidius mihi apparuerint, omnesque Adſtantes in admirationem abriperentur, qui potuerit fieri, ut aliter Viri alii in hac parte viderint. VIIIº. Vigeſies ad minimum idem experimentum, non a me ſolummodo, ſed et ab omnibus, qui aderant, ſumma cum cautela, inſtitutum, eundem exhibebat ſucceſſum. IXº. Tandem perparva guttula olei vitrioli huic membranæ, ab apice acus, applicata, tanto dolore canem afficiebat, ut ſummo clamore, & violenta corporis jactatione, ingentem inde natam ſenſationem indicaret: idque fiebat, licet oleum effluente ſanguine haud parum dilueretur, & multum ſanguinis jam perdidiſſet animal. Xº. Laqueo dein ſuſpenſus Canis, videndi cauſa, num per ſtrangulationem in capite accumularetur ſanguis, nullum obſer-

vabamus copiosiorem sanguinis effluxum, ex duræ matris arteriis.

§. XXII. Dum hisce conscribendis occupatus eram, nuperrime denuo me tentavit curiositas, ut ulterius, priusquam in lucem ederentur, dicta confirmarem. A. d. itaque XIV Februarii CIↃIↃCCLXV Canem mediocris magnitudinis, valde pinguem, neque admodum vividum, aut malignum, novo examini subjeci, non ligatum, sed manibus coërcitum ab experimentorum Sociis, præst. J. Stolte, & G. Verschuir, Medicinæ Candidatis, quorum ille quoque adstiterat tentaminibus, §. §. XVIII, XIX, & XX, memoratis. Irritamenta fuere, acus, scalpellum, tenacula, oleum vitrioli satis forte, & ferrum ignitum. Omnibus tentaminibus sufficiens intervallum fuit interpositum, ut prius ad tranquillitatem redactum esset animal, quam novum caperetur. In eo notata fuere sequentia. I° Exper. Cutis pedis posterioris dextri sectio insignem excitabat dolorem, quem Canis pedis retractione, corporis totius commotione, rauca & intercepta respiratione, similibusque exhibebat signis: clamores autem validos, toto horum tentaminum tempore, vix edebat. II°. Denudatus a cute Tendo Achillis, & scalpello irritatus, ilico maximos dolores, præcedentibus haud minores visos, iisdem signis, indicabat animal. III°. Accuratius iterum explorandi gratia, membranam cellulosam a tendine illo separabam, unde novæ sensatio-

tiones fiebant. IV°. Præterea cutis laminas resecabam; tendinis partem eodem modo, ac in §. XIX, Exp. III, elevabam, ut aliarum partium irritationem sedulo evitarem, tumque eum tenacula comprimebam, acu, scalpelloque, irritabam medio loco, a musculosa carne multum remoto, indeque immanem dolorem exoriri, decies ad minimum, eodem cum successu, repetito experimento, videbamus. V°. Oleum dein vitrioli eundem exserebat effectum, licet minima tantum guttula ejus, ex tenuis acus cuspide, tendini admoveretur, hujusque elevatio diffluxum liquoris irritantis ad alias partes omnino impediret. VI°. Locus tendinis, qui jam oleo vitrioli erat tactus, denuo acu stimulatus, nondum insensilis erat. VII°. Acus in ipsam substantiam tendinis, secundum longitudinem, haud nimis profunde tamen, immissa, novos dolores excitabat. VIII°. Stilus ferreus ignitus, eidem loco applicatus, iterum producebat dolorem conspicuum. Non omittendum vero est, Canem, metu, variisque irritamentis dolorosis, afflictum, a stimulis adhibitis aliquoties non edidisse sensationis indicia: qualia exempla etiam nos potuissent fallere, nisi sæpius rem explorassemus: nam eodem modo, & stimulo, iterata irritatione, denuo excitabantur dolores: quibus tantopere de hujus tendinis facultate sentiendi convicti eramus, ut ad alias transiremus partes. IX°. Dissectio Cutis a Capitis summitate valde dolorifica erat. X°. Irritatio varia Pericranii, a cellu-

losa orbati, dubios nos relinquebat de sensilitate ejus. XIo. Hæc autem manifestissima erat in musculo Temporali lacessito, licet sua aponeurosi tecto. XIIo. Ad perforationem cranii ope trepani efficiendam, magna vis adhibenda erat, ad totum animal, & præsertim caput, & collum, cohibendum, qua factum est, ut exanimis fere redderetur canis: eum tamen, respiratione jam carentem, vario motu, frictione, & concussione corporis, in vitam revocabamus: vita autem ejus in tanto majore periculo versabatur, quod in dura matre læsum erat vas, multum continuo sanguinem effundens: sensim tamen dein ad se redibat, intereaque ossis segmentum facto foramini imponebam, ne frigus noceret subjectæ membranæ. XIIIo. Tum pulcre apparebat, cum singulis exspirationis nisibus cerebrum, & duram matrem, elevari, in inspiratione subsidere, eumque motum plane sequi dictum cranii segmentum. XIVo. Cum eo usque reviviseret canis, ut respiratione bona satis frueretur, corpus suum e tabula elevaret, atque ab irritatione Cutis capitis sensationem indicaret; pluries ope acus, scalpelli, atque tenaculæ, Duram Matrem stimulabam (summam adhibens prudentiam, ne subjacens tangeretur cerebrum) eo cum eventu, ut manifestissima doloris, & molestiæ exinde natæ, indicia præberet, haud minora, quam quæ cutis irritatio eodem tempore excitabat: majora tamen visa sunt ea, quæ post stimulatum musculum

lum Temporalem oriebantur. XVº. Idem in dura matre non a me solum, sed & ab Adstantibus, prudenter repetitum, ad minimum vigesies eundem eventum commonstrabat, licet una quoque, & altera, vice doloris signa eo non excitarentur. XVIº. Sic quoque ignitus stilus ferreus nihil videbatur efficere in illam, quamvis, paulo post eum applicatum, facta ejusdem membranæ levis vellicatio, molestiam animali faceret. XVIIº. Cum jam cessaret hæmorrhagia, laqueus collo injectus, & respirationem intercipiens, non resuscitabat sanguinis profluvium ex dura matre. XVIIIº. Laqueo soluto, cum canis iterum animam recuperaverat, & dura mater interim ultra horæ quadrantem nuda aëri exposita fuerat, hæc nihilominus, toties jam antea vario modo irritata, iterum tenaculæ compressione stimulata, sæpius indubitata doloris indicia excitabat, ut anterioribus quoque pedibus incommodum, quod inde percipiebat, tentaret avertere, & removere. XIXº. In aperiendo Thorace, irritabilitatem conspicuam videbamus in musculis Pectoralibus, & Intercostalibus. XXº. Cordis contractiones alternæ satis diu pergebant, post cessantem respirationem: semperque Auricularum systole, & diastole, prægrediebantur contractionem, & relaxationem, Ventriculorum. XXIº. Quiescentibus jam auriculis, perdurabat adhuc mirabilis ventriculorum irritabilitas, in omni eorum puncto, & ad stimulos applicatos perpetuo augebatur.

tur. XXII°. Irritatio Nervi Diaphragmatici ſubitaneas, & violentas, in diaphragmate conſtrictiones producebat, aliaque phænomena, iis fere ſimilia, quæ in §. XIV, Exp. VII, VIII, & IX, expoſita ſunt. XXIII°. Pleuræ irritatio num aliquem ſenſum excitaret, incertum erat in moribundo animali: minus dubia aliquomodo videbatur ſubſtantiæ Pulmonis conſtrictio, a ſtimulo acuti ſcalpelli. XXIV°. Ex abdomine aperto prorumpentia Inteſtina luculenter exhibebant motum periſtalticum, ab irritabilitate dependentem: Tenuia enim, æque ac Craſſa, inſtar vermium repebant, ſuumque ſitum continuo mutabant. XXV°. Dumque ea inter pollicem & indicem ſtringebam variis locis, increſcens irritabilitas integri eorum cavi abolitionem faciebat. XXVI°. Idem a ſtimulo ſcalpelli, nec non olei vitrioli irritamento, fiebat. XXVII°. Portio inteſtinorum tenuium quatuor ad minimum pollices longa, in qua motus ille præcipue vigebat, aperta intus nihil continebat, & mirabiliter corrugabatur: ex utroque autem integri inteſtini extremo, liquor ſpumoſus eructabat. XXVIII°. In Ventriculo digitorum vellicatio, ſtimulusque acus, ſcalpelli, & olei vitrioli, ſimilia, ac in inteſtinis, exhibebant phænomena. XXIX°. Itidem in Veſica urinaria. XXX°. Hepar, & Lien, nihil irritabilitatis oſtendebant. XXXI°. Muſculi Transverſi abdominis, intus peritonæo obducti, etiamnum inſignem fibrarum motum exhibebant. XXXII°. Neque

mi-

minus Diaphragma, nunc denuo irritatum. Diu etiam vis contractilis in Corde, Inteſtinis, Ventriculo, aliisque partibus, a morte, inſidebat: intercepit vero exactam ejus durationis obſervationem, ut et plurium partium accuratius examen, temporis anguſtia, quæ finem experimentis eo tempore imponebat.

§. XXII. Narratione hiſtorica nunc expoſitis iis, quæ variis abhinc annis mihi occurrerunt, obſervationibus circa partes animalium, vi motrice & ſentiente præditas, dum nihil, niſi „ veritatem, quæſivi, æque lætus, quæ „ demum veri facies, aut quæ ejus oracula fuerint"; liceat tandem, ex præmiſſis, nonnulla repetere Corollaria, eaque paucis abſolvere concluſionibus, ut eo facilius evitare poſſim Alios irritandi occaſionem, viamque effugere, quæ duceret ad litem, haud ita diu tam acriter Viros inter agitatam, quorum merita, cum omnibus Bonis, magni facio.

Ex præcedentibus patere credo: I°. Experimenta noſtra ſatis copioſa fuiſſe, ut caſtas exinde concluſiones depromamus. Licet quidem aliorum negotiorum ratio, aliæque cauſæ, effecerint, ut ad HALLERI exemplum, ducenta, trecentave, viva animalia, huic inquiſitioni immolare haud potuerim, neque id opus eſſe cenſuerim; ea tamen, tentamina quæ ab anno CIↃIↃCCLII, uſque ad hunc CIↃIↃCCLXV, toties inſtitui, totiesque cum eodem eventu obſervavi, ſuppeditant, niſi me omnia fallant, mihi juſtam

ex illis concludendi materiem, quamvis etiam contraria exhibeant iis, quæ ab illustri illo Viro, Aliisque, sunt proposita.

II°. Experimenta nostra eo certiora esse, puto, quo accuratiores fuerunt cautelæ, quas in iis instituendis adhibui. Molestum mihi sane esset, dum a prima juventute inter dissectiones cadaverum vixerim, pluresque annos Anatomici munus publicum sustinuerim, pro tali haberi, qui, in hisce observationibus, haud rite potuissem discernere partes non tangendas, ab iis, quæ irritandæ essent: in omnibus adhibui summam, quam potui, prudentiam, atque opinor, saltem de posterioribus, celebrem, atque solitam, illam objectionem, quod requisitæ cautelæ sint neglectæ, nihil valere posse, apud justos rerum æstimatores. Fateor equidem, eorum omnibus non æqualem decidendi vim esse: plurium quippe, & diversorum, tentaminum, in eodem animali numerus; irritatio fortuita partium, quas stimulari non oportebat; vivorum animalium vexatorum jactationes, eorumque corporum turbæ; dolores renovati in iis, quæ jam prægressa experimenta passæ erant, partibus; aliæque conditiones inevitabiles, nonnullorum robur infringunt: ea, quæ in uno subjecto apparuerunt, non ita sese obtulerunt in alio: hinc lubenter suo loco dubitationem meam, atque quorumdam incertitudinem, indicavi. Sunt tamen inter illa, quæ fere semper, & in omnibus, eundem effectum exhibuerunt; sunt, quæ

repe-

repetitis vicibus, & magis minusve frequenter, ita apparuerunt, qualia descripta sunt; sunt, quæ semel tantum licet visa, tam clare tamen fidelibus oculis subjecta fuerunt, ut centum contrarii eventus, eorum fidem mihi derogare non valerent, e quorum numero v. g. est illud, quo Hepatis irritabilitas, et vis sentiendi, conspicua fuit; vid. §. IV, Exp. XIII: ne de pluribus dicam.

III°. Experimenta nostra confirmant, Irritabilitatem, a Recentioribus diligentius excultam, revera competere partibus, in quibus fibræ musculares rubræ dantur: uti, Cordi, §. IV, Exp. XXI; §. XIV, Exp. VI, X, XI, XII, XV; §. XXII, Exp. XX, XXI, XXXII: Diaphragmati, §. VI, Exp. XVIII; §. XIV, Exp. VII, VIII, IX, XVI; §. XXII, Exp. XXII, XXXII: Musculis rubris, §. V, Exp. VIII; §. XXII, Exp. XIX, XXXI: Œsophago, §. IV, Exp. XX.

IV°. Docent eadem, partibus, quæ vel tenuioribus, vel vix conspicuis, constant fibris, illam quoque vim insitam esse: uti, Ventriculo, §. IV, Exp. XVI; §. VI, Exp. XV; §. IX, Exp. XIII; §. XXII, Exp. XXVIII, XXXII; Intestinis, §. IV, Exp. XI, XV; §. V, Exp. II, V, VII; §. VI, Exp. XX; §. XIV, Exp. IV, XVII; §. XXII, Exp. XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXXII: Vesicæ felleæ, §. IV, Exp. XIII; §. VI, Exp. XV: Vesicæ urinariæ, §. IV, Exp. XII; §. V, Exp. III; §. XXII, Exp. XXIX: Venæ Cavæ inferiori & superiori, §. VI, Exp. XV; §. XIV, Exp. X: Hepati, §. IV,

Exp. XIII: Pulmonibus, §. IV, Exp. XVII; §. XXII, Exp. XXIII: Cuti, §. IV, Exp. II. §. VI, Exp. I.

V°. Facultatem ſentiendi ineſſe multis partibus, quibus Alii quoque Senſilitatem adſcribunt, iis evincitur: nempe, in Nervis, §. IV, Exp. VI; §. XIV, Exp. VII; §. XXII, Exp. XXII: in Muſculis rubris, §. VI, Exp. III; §. IX, Exp. X; §. XXII, Exp. X: in Cute, §. VI, Exp. I; §. IX, Exp. I; §. XI, Exp. I; §. XVIII, Exp. I; §. XXI, Exp. I; §. XXII, Exp. I, IX, XIV: in Ventriculo, §. IX, Exp. XIII: in Inteſtinis, §. IV, Exp. XI; §. IX, Exp. XII: in Veſicula fellis, §. IV, Exp. XIII.

VI°. Tentamina noſtra vindicant ſentiendi facultatem variis illarum partium (§. II), quibus Recentiores iſtam denegarunt: ſcilicet, Duræ Matri, §. IV, Exp. III, IV; §. V, Exp. II; §. VI, Exp. VI, VII, VIII, IX, X; §. VII, Exp. III; §. VIII; §. XXI, Exp. VII, VIII, IX; §. XXII, Exp. XIV, XV, XVI, XVIII: Tendinibus, eorumque Aponeuroſibus, in Homine, §. XV & XVI; inque Animalibus, §. IV, Exp. V, VII, IX; §. V, Exp. I; §. VI, Exp. III, XII; §. VII, Exp. I; §. VIII; §. IX, Exp. III, IV, V, VII, VIII; §. XI, Exp. III; §. XII, Exp. IV; §. XIII; §. XIV, Exp. I, II, III; §. XVIII, Exp. III, IV, V; §. XIX, Exp. I, III, IV, V, VI, VII; §. XX; §. XXI, Exp. II, III, V; §. XXII, Exp. II, IV, V, VI, VII, VIII, XI: Pericranio, §. IV, Exp. I; §. VI, Exp. I, V; §. XXI, Exp. IV: Pleuræ, §. IV, Exp. XVIII; §. VI, Exp. XVI: Hepati, §. IV, Exp. XIII, &c.

VII°.

VII°. Docent eadem, Animalia viva, ad ſtimulorum applicationem, non ſemper præbere ſigna ſenſationis, quamvis partes, manifeſto ſentiendi facultate præditæ, irritentur: uti §. VII, Exp. II; §. VIII; §. IX, Exp. II; §. XI, Exp. I, II, III; §. XII, Exp. I, II, III, V, §. XXII, Exp. VIII, XV, XVI, & alia: adeoque tales conditiones concluſionibus, noſtræ experientiæ contrariis, facile anſam præbere, ſi non ſatis caute, & absque feſtinatione, aut præjudiciis occupato animo, experimenta talia inſtituantur. Apparentis illius inſenſilitatis, in Animalibus, variæ dari poſſunt cauſæ: v. g. nimis diuturna partium ſentientium expoſitio attactui aëris, frigoris, caloris &c.; nimis ſedula opera in tollenda, tendines, aliaſve partes, ambiente membrana celluloſa, deſtruens nervulos, per hanc diſtributos; partium ſentientium prægreſſa compreſſio, & ligatura; doloris majoris, minorem ſuffocantis, præſentia; animalium debilitas ex hæmorrhagia, torminibus, aut doloribus; turbæ in toto eorum corpore enatæ; illorum metus, terror, phlegmatica diſpoſitio; forte et contumacia adverſus irritationes; ſimiliaque alia. In Hominibus, quum non, niſi in morboſo ſtatu, eas partes explorare datum ſit, facile eluceſcit, innumeras adeſſe poſſe cauſas, quæ illas inſenſiles reddiderint, antequam examinentur.

VIII°. Id quoque ex Tentaminibus noſtris deducendum eſſe puto, vanum fuiſſe Veterum, plurimorumque Recen-

tiorum metum, de terribilibus ſymptomatibus convulſivis, ex Duræ Matris, Tendinum, Aponeuroſium, aliarumque partium, non valde nervoſarum, læſionibus, quum experientia doceat, confirmentque præmiſſa tentamina, haſce partes, abſque talibus effectibus, vulnerari poſſe, adeoque in morbis, ubi neceſſitas urget, illas abſque ingenti periculo, æque ac alias, incidi, aut præſcindi, debere.

IXº. Confirmantur noſtris experimentis varia momenta phyſiologica, Aliorum laboribus exactius ſtabilita, v. g. de Cordis contractione, Circulatione, Reſpiratione, Motu cerebri cum hac congruente, Motu periſtaltico, Actione muſculorum, aliiſque, quæ, paſſim obſervata, reticere nolui.

Xº. Patet tandem, ex tota hac commentatione, me, quantum unquam indagare potui, cum Sociis academicis, fuiſſe primum, qui nova hujus temporis Experimenta, de partibus inſenſilibus, examinaverit, &, experientia edoctus, eorum incertitudinem viderit, poſtquam ea A. CIϽIϽCCLII a clar. ZIMMERMANNO fuere edita.

Finem hic impono iis enarrandis, quæ mihi in indaganda partium Animalium vi irritabili et ſentiente, occurrerunt.

C A-

CAPUT XV.

Continens Additiones nonnullas, ad Capita præcedentia referendas.

§. I.

Ad Cap. I, §. *XLIII*. Ab eo tempore, quo typis expressa fuere Agnorum, & Ovium, monſtroſorum exempla, quæ ſupra (α) recenſui, alia quoque apud varios Obſervatores occurrerunt, quorum catalogum præcedentibus addere mihi placuit. ÆLIANUS memoravit Agnum Bicipitem & quadricornem, pedibus octonis, & cauda gemina, natum (β). ULYSSES ALDROVANDUS, præter varia eorum, quæ ante propoſui, exempla, nonnulla alia expoſuit: uti, Agnum Bononiæ natum, nigerrimum, duobus Capitibus & Caudis refertum, & quinto pede, dorſo adhærente, inſtructum: alium Bicipitem, cum duobus tantum pedibus: tertium ex J. FINCELIO adduxit Agnum, cujus Caput rotundum æmulabat tricipitium, ore triplici, gemino naſo, auribus in dorſum pendulis (γ). Idem Agnum octipedem deſcripſit, atque delineavit, totum nigrum, in agro Patavino natum, dorſo duplici ſimul conjuncto, binis Caudis, Au-

(α) Pag. 35 & ſeqq.
(β) De Nat. Animal. Libr. XII, Cap. III.
(γ) Monſtror. Hiſtor. pag. 416, Ed. Bonon.

Auribus tribus, Pedibus octo, quorum duo ex principio dorſi enaſcebantur (δ). In Miſcellaneis Naturæ Curioſorum nonnullæ quoque aliæ, quam quas adduxi, continentur hiſtoriæ: ita B. CHILIANI Agnellum, noſtro forte ſatis ſimilem, uno collo Bicipitem, cum duobus oribus, quatuor oculis, totidem auribus, & rima dorſi duplici, memoravit (ε). J. C. PEYERUS exhibuit embryonem agninum Cyclopem, naſo penitus carentem, cum ſuperiore labro ad palatum usque bifido, linguaque per hiatum eminente (ζ). J. M. VERDRIES Agnum deſcripſit, cujus partes generationis ita a naturali forma abludebant, ut illum nominaverit Hermaphroditum: ibidemque Agnam cum ano clauſo, & inteſtini recti apertura in vulvam, addidit (η). Celeb. noſter RUISCHIUS, in ſuis Operibus, nonnullorum recenſionem fecit: veluti, Ovis duobus Lienibus, vario loco ſitis, præditi: Ovis, in cujus hepate quinque proſtabant Veſiculæ fellis: ut et alius, in cujus capite deërat Os, atque Oculi ſitum perverſum obtinebant: Oves denique citat quam plurimas, quibus dederat Natura pedes ultra conſuetum numerum, eminentes ex nucha (θ). Alibi indicavit Pudenda Pſeudohermaphroditi ovini (ι). Ex cl. MAITREJEAN opuſculo citatos

(δ) Ibid. pag. 543, & 544.
(ε) Ephem. N. C. Dec. II, Ann. I, Obſ. CXLIII.
(ζ) Ibid. Dec. II, Ann. III, Obſ. CLXIII.
(η) Ibid. Dec. III, Ann. IX & X, Obſ. CCLII.
(θ) Adverſar. Anat. pag. 20 & 21, N. IV, V, XIII, & XV.
(ι) Theſaur. Anat. VIII, N. LIII, Tab. II, fig. 5.

tos inveni Agnos, Ore impervio natos (κ). Agnum monstrosum absque Ore, in omnibus fere similem illi, quem cl. DU PUY observavit, pag. 37 memoratum, descripsit clar. Norimbergensis Medicus, C. J. TREW (λ). Ovem Bicipitem, una cum duobus collis, vidit J. G. BUCHNERUS (μ). Illustris HALLERUS Agnum Cyclopem, cum pluribus aliis, a solita fabrica recedentibus, deformitatibus, ex pago Aventico adlatum; Idemque alium deformem Agnum, Ore carentem, descripsit (ν). Monstrum ovillum, sine Ore & Faucibus natum, exposuit Jo. CHR. THEMELIUS, eaque occasione Commentationem medicam, qua, nutritionem fetus in utero per vasa umbilicalia solum fieri, ostendere conatus est, edidit (ξ). Celeberrimus quoque DAUBENTON Ovem masculum memoravit, in quo generationis organa sua deformitate imponebant, acsi utriusque sexus particeps esset illud animal (ο). Tandem clar. ROEDERER Novellis Gottingensibus A. CIƆIƆCCLVI, nondum editis, inseruit commentarium, Societati Regiæ scientiarum Gottingensi expositum, de

Kk Mon-

(κ) Vid. H. BOERHAVII Præl. Acad. ad propr. Instit. Med. cum notis HALLERI, Tom. V, P. II, pag. 262.

(λ) Commerc. Liter. Norimb. ann. 1736, hebd. XV, pag. 113.

(μ) Act. Phys. Med. N. C. Vol. IV, Obs. LXIX, pag. 269.

(ν) Opusc. Pathol. Obs. LVI, & LVIII.

(ξ) Quæ continetur in Fascic. Diss. anat. med. Amstel. 1764: vid. in eo pag. 125, & Tab. IV.

(ο) *Hist. Nat. gen. & partic. avec la descr. du Cab. du Roy, Tom. V, pag. 37, pl. V.*

Monſtro ovino ſex pedum (π). De his omnibus obſervationibus (niſi forſan ultima ſit excipienda, quam legere mihi non contigit) non minus, quam de præcedentibus, poteſt dici, quod vix ulla exactam partium monſtroſarum diſſectionem exhibeat. Patet autem ſatis ex copioſis adeo exemplis recenſitis, Ovium ſobolem non tantum deformitatibus eſſe frequenter obnoxiam, ſed et omnis ſpeciei monſtra ab ovibus produci. Inter illa autem multa eſſe, quæ externæ ſaltem ſpeciei ſimilitudine eandem habuerint deformitatem, itidem exhibitus docet catalogus: Bicipites enim octo; Bicorporei, uno capite præditi, quatuor; Sexpedes duo; Cyclopes tres; Ore carentes quinque, aut plures; Pſeudo-hermaphroditi quatuor, in eo occurrerunt (ρ). Eratque inter Agnum a celeb. TREWIO obſervatum, eumque, quem DU PUY deſcripſerat, tanta ſimilitudo, ut etiam Ille exinde Naturæ aliquam, in monſtris producendis, perſpexerit, atque indicaverit, eo, quem citavimus, loco, conſtantiam.

§. II. *Ad. Cap. II*, §. *VIII*, *pag.* 56. Addi poteſt, de modo, quo infantes, palato fiſſo nati, ſugant, & ſervari aliquando poſſent, ſive ad plures dies, ſive, ubi vitium minus ſit, ad longiorem ætatem, tractaſſe cl. PETIT, in Actis Academiæ ſcientiarum Pariſinæ (σ): auxiliumque in

(π) Vid. A. G. KAESTNERI Elog. J. G. ROEDERERI, pag. 24.
(ρ) Conf. cum his Cap. II, §. XII, pag. 60.
(σ) *Memoir. de l' Acad. R. des Sc. Ann.* 1735. *pag.* 64 *& ſuiv.*

in aurea, vel eburnea, lamina, quærendum propoſuiſſe cl. CRANTZIUM (τ). Varia etiam apponi poſſunt exempla Labiorum Leporinorum, & Palatorum fiſſorum, recenſita a celeb. TREWIO (υ).

§. III. Si plenior Acephalorum recenſio deſideretur, *ad Not.* (ε), *pag.* 56, adjungi poterit, nova illorum exempla nuperius collegiſſe celeb. HALLERUM, in ſuo Opere phyſiologico, rerum utiliſſimarum refertiſſimo (φ). Alia quoque exſtant apud venerandum Senem, ill. J. B. MORGAGNIUM, tum in Epiſtolis anatomicis, Anatomicorum manibus perpetuo verſandis (χ), tum in immortali Opere anatomico practico, poſt multorum annorum deſideria, tandem in lucem edito (ψ).

§. IV. *Ad Cap. II*, §. *X*, *pag.* 58, *lin.* 5. De Æthiope, in Surinamia degente, nuper ad Academiam Regiam Berolinenſem retulit clar. CASTIGLIONI: is in utraque manu quatuor tantum digitis, nullo pollice, inſtructus, præterea que pedes, inſtar chelarum cancrorum formatos, habens, iſtud vitium cum tota ſua familia commune habet. Novi in hac urbe degentem honeſtæ admodum vitæ familiam, in qua quid obſervaverim hic exponam, quoniam cum memoratis Obſervationibus aliquam, licet minus ar-

(τ) Nova Act. Phyſ. Med. N. C. Tom. I, Obſ. LXII.
(υ) Ibid. Obſ. CIII.
(φ) Elem. Phyſiol. Tom. IV, pag. 353 & ſeqq.
(χ) Epiſtol. Anat. XX, §. 56, 57.
(ψ) De Sedibus & Cauſ. Morb. per Anat. indag. Epiſt. XLVIII, §. 48 & ſeqq.

ctam, habet in similitudine convenientiam. Matrimonio nempe juncti Parentes, nullo nævo, aliove deformi corporis vitio, affecti, inter octo liberos in lucem eductos, quatuor esse dolent, quorum forma non sit naturalis, & quorum trium, quod magis singulare est, vitium in iisdem locum habet partibus. Sani etiam ambo illi sunt, nisi eorum temperamenta, ad melancholicum vergentia, morbosas inter conditiones velimus recensere: non multum quoque ad rem facere mihi videtur, si notaverim, Patrem sæpius asthmaticis laborare insultibus. Mater anno suæ ætatis vigesimo primo (patre tum trigesimum circiter secundum agente) primum enixa est Filium. Hic, tredecim nunc annos natus, dextro latere, ex coxendicis morbo, claudicat, inque pede dextro digito medio insidentem habet digitum quartum, suo loco deficientem: in sinistro ejus pede deficiunt digitus secundus, & tertius. Secundus eorum filius, absque deformitate natus, nunc quoque sanus superest. Tertius, itidem nullo corporis vitio laborans, mortuus est. Quartus, qui adhuc in vita est, in dextro Pede sex habet digitos, nempe duplicem pollicem, duos insequentes perparvos, duosque reliquos eadem cutis vagina inclusos: in sinistro secundus & tertius coaluerunt, quartus deficit, pollex, & quintus, solitarii sunt. Quintus, qui etiam inter vivos est, toto corpore bene formato gaudet. Itidem Sextus, ast rachitide quum laboraverit, valgus

est,

eſt. Septimus partus fuit ille Acephalos, quem memoravi §. IX, pag. 56. Octavo partu, elapſis nunc aliquot menſibus, edita fuit Puella, etiamnum vivens, pulcerrimo totius reliqui corporis habitu conſpicua, cujus vero uterque Pes duos ſolummodo digitos nactus eſt, pollicem nempe, & digitum minimum: eademque ambas quoque manus deſiguratas habet: in manu enim ſiniſtra digitus medius cum annulari coaluit, & eadem cutis vagina includitur, duobus quoque unguibus in extremitate donata: in manu dextra digitus index ultimum articulum duplicem habet: medius coaluit cum annulari, ita ut in phalange prima ſint officula duo, in ſecunda tantum unum, in tertia iterum duo, hæcque duos gerat unguiculos: unde admodum ingratus eſt hujus manus adſpectus. Mirabilis mihi viſa eſt, & narratu digna, hæc obſervatio, quæque hic referri poſſet propter deformitatem, in tribus infantibus ex iiſdem parentibus natis, in iiſdem corporis organis, nempe, pedibus, occurrentem: quemadmodum cl. Trewius dignum memoratu cenſuit, ex ſeptem liberis, iiſdem ex parentibus natis, tres puellas eodem nævo, nempe Palati fiſſura, & Labio Leporino, fuiſſe correptas, cum apparente tamen hæreditariæ conſtitutionis nota (ω).

(ω) Loc. cit.

§. V. *Ad Cap. IV*, §. *IV*, *pag.* 76. Præter citatos auctores, qui talem cruſtam purulentam, viſcera Thoracis obſidentem, obſervarunt, adducendi ſunt cl. LIEUTAUD, qui cruſta purulenta obductos pulmones, ut frequens vitium, deſcripſit (αα): cl. RAULIN in morbo pectoris funeſto eam frequenter vidit (ββ); Aliique, quos recenſuit HALLERUS (γγ). Quibus vel maxime accedit ill. MORGAGNIUS, qui pluribus locis, in nuper edito opere, talium cruſtarum obſervationes memoravit (δδ), atque utiliſſimo illi libro pulcerrimas inſeruit animadverſiones de ulcere Cordis (εε), deque Pericardii hydrope (ζζ), perdignas, ut, ad illuſtranda, quæ hocce Capite dicta ſunt, conſulantur. In Scripto periodico Gallico inflammationem Cordis, & materiæ purulentæ exhalationem ad partium thoracis ſuperficiem, a cl. BAGARD deſcriptam, legimus (ηη). Talis materia ſuper cerebri partes, nulla tamen roſione læſas, effuſa cernebatur in cadavere, quod præterito anno in theatro noſtro publice diſſecuit cl. CAMPER.

§. VI.

(αα) *Mem. de l'Acad. R. des Sc. Ann.* 1752, *pag.* 263.
(ββ) *Obſerv. de Medecin. pag.* 306, 308.
(γγ) Elem. Phyſiol. Tom. III, pag. 121.
(δδ) De ſedib. & cauſ. morb. Epiſt. XX, §. 47, 56, 59; Ep. XXI, §. 2, 9, 17; Ep. XXV, §. 24, & alibi.
(εε) Ibid. Epiſt. XXV, §. 17, & ſeqq.
(ζζ) Ibid. Epiſt. XXVI, §. 20, & ſeqq.
(ηη) Vid. *la Gazette Salutaire*, *Ann.* 1763, *N.* 37 & 39.

§. VI. *Ad Cap. V*, §. *IV*, *pag.* 80. Appendicum talium Inteſtini Ilei exempla copioſiora, atque inde facile natas hernias, collegit celeb. J. G. Gunzius (θθ); nec non ill. Morgagnius, qui tamen perpaucas ſe vidiſſe teſtatur, quamvis tot cadaverum inteſtina examinaverit (ιι).

§. VII. *Ad Cap. VI*, §. *VII*, *pag.* 91. Ad hiſtoriam, hoc Capite enarratam, nihil quidem addendum habeo, niſi aliorum Medicorum errorem, meo dolori ſolatium aliquod afferentem, quem inveni in ſæpius jam laudato ill. Morgagnii libro: proſtat enim in hoc obſervatio, proxime cum expoſita conveniens, de Muliere, quæ, varia Uteri ſymptomata perpeſſa, in magnum dein abdominis tumorem incidit, quem pro uteri carcinomate omnes habebant Medici, eo minus de Veſicæ morbo cogitantes, quod ægra aſſiduum haberet urinæ ſtillicidium: dum interim diſſectio cadaveris docuit, Veſicam, lotio diſtentam, fuiſſe mortis illius cauſam (κκ). Idemque, alio loco, hiſtoriam narrat Vetulæ, apoplexia correptæ, in qua, licet durante morbo veſica urinam extruderet, eoque ſtillicidio deciperentur Adſtantes, poſt mortem aperto ventre, Veſica lotio tantopere diſtenta apparuit, ut ad umbilicum adſcenderet, & utrumque ilium occuparet (λλ). Quibus Obſervationibus moni-

(θθ) Obſerv. anatom. chir. de Herniis, pag. 6, not. e.
(ιι) Libr. cit. Epiſt. XXXIV. §. 16, 17.
(κκ) Ibid. Epiſt. XXXIX, §. 33, 34.
(λλ) Ibid. Epiſt. LVI, §. 12.

monitos voluit ſuos Lectores, ut in ſimilibus morbis attendant, ne, Veſicæ cura neglecta, nova mortis cauſa, præter primarium morbum oriatur.

§. VIII. *Ad Cap. VII*, §. *IV*, *pag.* 98, *Not* (α). De Viſcerum facultate ſentiendi addenda quædam eſſe cenſui, propter rei dignitatem, & nexum, cum iis, quæ Cap. XIV tractata ſunt. Miror, ſcilicet, quoties ex nonnullis obſervationibus, quibus viſcerum morbos, abſque inſignibus doloribus, toleratos fuiſſe, a fide dignis Auctoribus perhibetur, video egregios Viros facile concludere, nullam, vel ſaltem perparvam, naturaliter vim ſentiendi iis ineſſe: miror autem ſummopere, inter ſententiæ hujus patronos haberi debere induſtrium, & valde perſpicacem, HALLERUM, eumque denuo ſuam de hac re opinionem, haud ita diu, expoſuiſſe (μμ). Uti vero cl. PLANCUS, ita etiam Hic, & Alii, GALENO duce, eas inter partes recenſent Renes. Renes vero nervos accipere, ex plexu renali oriundos, optimorum Anatomicorum (νν) ſcripta teſtantur: adeoque recte a priori, uti ajunt, concludetur, ea organa ſentire poſſe: eique concluſioni firmius inhærendum eſt, quum incomparabilis ille B. EUSTACHIUS „ affirmaverit, non unum tantum, ſed plures ner-

„ vos,

(μμ) Elem. Phyſiol. Tom. IV, pag. 291, 292, & Oper. min. Tom. I, pag. 419.

(νν) Vid. EUSTACHII Tab. XVIII, UUU, 2222; WINSLOW *Traité des Nerfs* §. 410, *Tr. du Bas ventre* §. 399; MONRO *Anat. of the hum. Bon. and Nerves*, *pag.* 405; ipſeque HALLERUS Elem. Phyſiol. Tom. IV, pag. 265.

„ vos, in Renes inferi, eosque non modo in membranam, „ qua teguntur, verum etiam in ipforum fubftantiam, ra- „ mos emulgentium arteriarum commitatos, penetrare" (ξξ). Si intueamur mirabilem iftum confenfum, quem Renes cum nobilioribus corporis partibus, & fpeciatim cum cerebro, ventriculo, hepate, vefica, aliifque colunt, conclufio majus acquirit robur, a pofteriori. Cui fi addamus dolores, qui Renum morbos tam frequenter folent comitari; nullus, me judice, de Renum fenfilitate fupererit dubitationis locus: fiquidem fentiendi facultate præditas dicamus illas partes, quæ fenfationem, vel dolorem, in homine, aliove animali, excitant. Nonne Renis affecti fenfilitas, excitatis doloribus, manifeftam fefe exhibuit in noftra Ægra, cujus hiftoriam hoc Capite tradidi? Nonne eam dari, cuilibet Practico, ægris adftanti, perfuadent calculorum renalium, & nephritidis, varia fymptomata? uti in quodam illam mihi nuper confirmavit podagræ anomalæ materia acris in renes delapfa, inque his enormes dolores excitans, attamen brevi poft cum lotio ejecta; atque in alio ægro, aliquot nunc elapfis menfibus, fuppuratio Renis dextri, perpetuis cruciatibus moleftiffima. Aft demonftrari, puto, illam fenfilitatem, ex plurimis exemplis Renum, variis morbis affectorum, cum ingentibus

(ξξ) De Renum ftruct. Cap. XXI, in Opufc. pag. 56. Idem in eodem Tractatu, Cap. XXIV, pro fenfu Renum ulterius difputavit.

lumborum doloribus, qui in apertis cadaveribus causam, & sedem, eorum morborum clare detexerunt: præter nostram observationem exstant innumeræ: neque plurium Auctorum, qui Anatomen Practicam excoluerunt, thesauros aperire necesse judicavi, quam solius MORGAGNII, qui seriem illarum descripsit (οο). In aliis porro partibus, quarum sentiendi vis indubitata est, scriptum est, locum habuisse graves morbos, eosque alias dolorificos, qui tamen doloribus sese non declaraverint ante mortem. Anne Vesica urinaria, quod post mortem calculos exhibuerit, durante vita, doloribus excitatis non manifestatos, ideo insensilis est dicenda, quæ merito omnibus habetur sensilissima (ππ)? Visum est, ulcus Cordis in Militum Præfecto, cujus morbum descripsi Capite IV, dolores acutos non excitasse: OL. BORRICHIUS de Centurione narrat, cujus Cor, profunde satis ulceratione exesum, nullos excitaverat cruciatus (ϱϱ): similiter ille æger, cujus cor ulcere obsessum invenit ill. MORGAGNIUS, dolores inde non habuerat (σσ): an ideo concludendum (uti ex fallente experimento conclusit HARVEIUS (ττ)), Cor sentiendi facultate carere? An merito Pulmonibus, multos sane nervos ex octavo pari

(οο) Libr. cit. Epist. XL: conf. T. BONETI Sepulchr. Libr. III, Sect. XXII.
(ππ) Vid. T. BONETI Libr. cit. Libr. III, Sect. XXIV, Obs. IX.
(ϱϱ) Act. Med. Hafniens. Vol. I, Obs. LXXXIX.
(σσ) Libr. cit. Epist. XXV, §. 17, 18.
(ττ) De Gener. Animal. Exerc. LII.

pari accipientibus (υυ) (quos ſemper copioſos etiam inveni, & Auditoribus oſtendi), & ad ſtimulos, in bronchia illapſos, aliasque tuſſis cauſas, adeo ſenſilibus, negari poteſt ſenſilitas, quia vomicæ non raro in iis, ſine multis doloribus, fieri obſervantur? An ob Hepatis abſceſſus minus doloroſos, hoc viſcus naturaliter non poteſt ſenſationem excitare, quod tamen ſuis, etiam ſatis copioſis, gaudet nervis (φφ)? Contrarium videntur docere hepatitidis ſymptomata: contrarium nuper expertus fuiſſe mihi videor, in Muliere, immani adeo hepatis ſcirrhoſa obſtructione laborante, ut utrumque hypochondrium, & cavum abdominis, a diaphragmate infra umbilicum, totum fere occuparet, quæque intolerabilibus cruciata fuerat doloribus, durante ſuo morbo, in cujus tamen cadavere nulla dolorum, & mortis, cauſa apparuit, niſi hepatis illud vitium, & inde natus hydrops. Vix quoque ſenſilitatem huic viſceri negaverit, qui legerit doloroſa ſymptomata, morbi illius hepatici lethalis, a ſingulariſſimo Lumbrico, in hepatis ſubſtantia nidulante, excitati, quem deſcripſit cl. TH. BOND (χχ). An muſculi Pectorales, Intercoſtales, aliæque vicinæ partes, poſſunt haberi inſenſiles, quod ego viderim in anteriore pectoris ſiniſtra parte natum,

 &

(υυ) WINSLOW *Tr. de la Poitrine* §. 124.
(φφ) Vid. EUSTACHIUS l. c.; MONRO l. c. pag. 404: WINSLOW *Tr. du Bas Ventre* §. 281, HALLER, Elem. Phyſiol. Tom. IV, pag. 263, 264.
(χχ) *Medical Obſ. and Inquir. Vol. I, Art. IX.*

& absque dolore, aut ulla ægri querela, eo usque protractum abscessum, ut caries jam corripuisset costas? Abscessum magnum vidi similiter oriri in Milite, sine dolore, supra claviculam dextram, ut ab omnibus fere pro aneurysmate haberetur. Neque multum laboris esset, talia plura exempla afferre. Adduxi proposita, ut constaret, non licere concludi, partes Corporis Humani ideo sensilitate destitui, quod in morbis, si causæ irritantes adsint, sensationem & dolorem aliquando non excitent. Provida Natura, a sapientissimo Creatore suis legibus, & viribus, donata, tunc uti solet variis, ad dolores minuendos, vel sopiendos, artificiis, v. g. dilutione aquosa; obvolutione, & inviscatione, mucosa; nervorum maceratione, vel consumtione; puris blandi obductione; quandoque etiam tegmine pinguedinoso, cartilagineo, aut & osseo; quibus vel insensilem, durante morbo, facit partem, vel irritamenti efficaciam refrenat.

§. VIII. *Ad Cap. XI*, §. *X*, *pag.* 177. Variis observationibus de Placentæ Incarceratione hic recensitis, quam maxime jungendam esse censeo, illam, quæ graphice descripta est ab Obstetricatore nostrate dexterrimo JAC. DENIJS (⸸⸸), qua varia continentur, hanc rem illustrantia, momenta.

(⸸⸸) *Verhand. over het Ampt der Vroedm. en Vroedvr. III Hoofdst. pag.* 31.



EX-

EXPLICATIO TABULARUM.

TABULA I.

Exhibet Agnum Bicipitem, naturali magnitudine, dorso incumbentem, pedibus expansis, aperto Thorace, & utroque Collo recenter dissecto. Vid. Cap. I.

AAAAA.	Pedes expansi, & Abdomen.
B B.	Capita duo.
CCCC.	Cutis animalis dissecta & reflexa.
D D.	Thoracis cavitas, diductis costis aperta.
E.	Diaphragma obiter depictum.
F F.	Musculi Levatores scapularum in externis utriusque colli lateribus.
G G.	Humeri summi.
H.	Musculus semilunaris, ex duobus Levatoribus scapularum coadunatis ortus: §. VII.
I I I I.	Musculi Sternomastoidæi sursum reflexi.
KKKK.	Musculi Sternohyoidæi remoti e suo loco.
L.	Scalenorum musculorum locus, obiter exhibitus.
M M.	Aspera arteria utriusque Colli.
N.	Œsophagus colli sinistri.
O.	Cor unicum.
P. P.	Pulmones collapsi.

a a. Arteriæ Aortæ curvatura.

b. Arteria Pulmonalis.

c. Canalis arteriofus.

d. Arteriæ pulmonalis ramus finifter.

e. Auricula cordis dextra.

f. Auricula cordis finiftra.

g. Arteria Carotis finiftra, ex curvatura aortæ oriens, ad ** in ramum dextrum & finiftrum divifa, §. XV.

h. Arteria Axillaris finiftra, abfciffa.

i. Aorta fuccenturiata ex pectore prodiens, §. XXX, conf. Tab. II, & III.

k. Arteria Axillaris dextra.

l. Arteria Carotis dextra, in ramum dextrum & finiftrum ** divifa.

m. Arteria fingularis, vices pulmonalis dextræ fupplens, & ope Canalis communicantis + fanguinem ex *n* recipiens, §. XVII.

n. Ramus arteriæ *i*, fanguinem in carotidem ducens.

o. Vena fingularis, §. XXII & XXVIII.

p. Vena Cava fuperior, perampla.

q q. Venæ Jugulares, dextra & finiftra, in dextros & finiftros ramos divifæ ††††.

r r. Rami venarum jugularium profunde ad interftitium collorum emiffi.

s s. Venæ Axillares.
ttt, tt. Nervi Octavi paris dextri colli.
vv, vv. Nervi Octavi paris finiftri colli.
1 1. Glandulæ pinguedini involutæ.
2. Pulmonis dextri lobus ultra jugulum adfcendens.
3. Pinguedo cum cellulofa, collorum interftitium adimplens.

TABULA II.

Partes ejusdem Animalis in Pectore fitas, recenter diffectas, continens, Thorace dilatato, Corde & Pulmonibus furfum reflexis. Vid. Cap. I, §. XXV.

A A. Coftæ divulfæ.
B. Cor reflexum.
C C. Pulmones furfum remoti.
D. Diaphragma flaccidum, fuperiora verfus adductum.
E. Locus coalitus fpinæ dextræ, & finiftræ, eminens.
a a. Arteria Aorta per thoracem defcendens.
b b. Aorta fuccenturiata, feu ramus ejus Transverfus, §. XXX.

c. Ar-

c. Arteriæ axillaris dextræ origo ex præcedente.
d. Arteria axillaris ſiniſtra.
e. Sinus cordis dexter.
f. Vena Cava inferior, ab elevato corde, tenſa.
g. Vena axillaris ſiniſtra.
h i. Vena axillaris dextra, tenſa ob pulmonem elevatum.
k. Vena perquam ſingularis in §. XXVIII deſcripta.
l l. Nervi octavi paris dextri in thoracem ingreſſi, convergentes.
m. Eidem nervi, juxta ſe poſiti, ad diaphragmatis foramen pergentes.
n. Nervus octavi paris externus ſiniſter, œſophagum inter & aortam deſcendens.
o. Œſophagus dexter, ante tranſitum per diaphragma inſigniter dilatatus.
p. Œſophagus ſiniſter.
1. Aſperæ arteriæ: vid. Tab. I.
2. Arteriæ carotides.
3. Venæ jugulares.
4. Œſophagus ſiniſter in collo.
5. Nervi octavi paris dextri.
6. Nervi octavi paris ſiniſtri.
7. Muſculus ſemilunaris adumbratus.

T A-

TABULA III.

Easdem partes exhibens ita, ut dilucidius appareat origo, & decursus, Arteriæ ſingularis, quæ Aortæ ſuccenturiata eſt. Vid. Cap. I, §. XVI & XXX.

AABCCDE Partes denotant easdem, ac in Tab. II.

F. Pulmonis dextri pars ſuperior.

G. Aſpera arteria dextra.

a a b b c f h i k n. Eædem partes, quæ in Tabula III.

p. Œſophagus ſiniſter parum dextrorſum remotus, ut origo Arteriæ *b b* pateret.

1. Origo arteriæ Transverſæ ex aorta deſcendente.

2. Ramus ejusdem, ſanguinem deferens in Carotidem dextram.

3. Arteria Carotis dextra.

4 4. Arteria, quæ pulmonalis dextræ vices ſupplet.

5. Canalis communicans inter ramum 2 & 4, 4: conf. de his Tab. I, *i*, *k*, *l*, *m*, *n*.

TABULA IV.

Figura I ſiſtit Sceleton Spinæ, Thoracis, & Pelvis, Agni Bicipitis, a parte anteriore: Vid. Cap. I, §. XXXV, & ſeqq.

A A. Colla duo, plane diſtincta.

B. Spina dorſi.

C C. Lumborum vertebræ.

D. Angulus obtuſus, a concurſu ſpinæ dextræ cum ſpina communi natus.

E. Os ſacrum.

F F. Oſſa coxendicis.

a b c d. Rudimenta coſtarum primæ, ſecundæ, tertiæ, & quartæ, lateri ſiniſtro ſpinæ dextræ inhærentes, §. XXXVIII.

e. Coalitus anterior ſpinæ duplicis.

f. Pars vertebræ ſeptimæ ſiniſtri colli, defectum corporis vertebræ primæ dorſalis ſupplens.

g. Proceſſus tranſverſus vertebræ dorſalis ſiniſtræ ſecundæ, valde elongatus, §. XXXIX.

h. Rudimentum coſtæ cum ſimili, alterius lateris, *b* coiens.

i. Corpus vertebræ dorſalis quintæ, in tres partes diviſum.

k k.

k k. Linea a concurſu cartilagineo corporum vertebrarum dorſalium, & lumbalium, ſuperſtes, §. XL.

l l. Latera interna vertebrarum cervicalium, foraminibus deſtituta, §. XXXVI.

m. Coſta decima tertia ſiniſtra, breviſſima.

n n n. Coſtæ dextræ.

p p. Coſtæ ſiniſtræ.

q. Apex oſſis ſacri, a quo ſeparata eſt cauda.

1--7. Vertebræ ſeptem utriusque Colli.

8--20. Tredecim Dorſi vertebræ.

21--25. Quinque vertebræ Lumborum.

Figura II ſiſtit idem Sceleton, a parte poſteriore.

AABCCDEF Easdem partes denotant, quas in Fig. I.

a b. Arcus oſſei vertebrarum Colli dehiſcentes, §. XXXVI.

c. Vertebræ octavæ dorſi ſimilis fabrica, §. XXXVII.

d. Arcus primæ vertebræ dorſalis dextræ externus, §. XXXVIII.

e. Coalitus duarum Spinarum poſterior, in proceſſu ſpinoſo, vertebræ dorſi quartæ, ſiniſtræ & dextræ, communi.

f. Arcus externus vertebræ dorſalis ſiniſtræ primæ, absque pari, §. XXXIX.

g. Processus spinosus crassus, vertebræ secundæ & tertiæ dorsali sinistræ communis.

h. Est in Figura I *g.*

iiii. Margo Spinæ bifidæ in tribus vertebris lumborum, & osse sacro, formatæ, §. XL.

k. Linea dividens corpora vertebrarum, cf. Fig. I. *k.*

llmnnnppq. Eadem exhibent, quæ in Fig. I.

ooo. Rudimenta Costarum inter convergentes spinas, vid. Fig. I, *abcdh.*

1--7 Vertebræ septem utriusque Colli.

1--13 Vertebræ Dorsales, hic decem communes, tres vero duplices.

1--5 Vertebræ Lumborum quinque.

TABULA V.

Tribus Figuris sistens Infantem Acephalum, cum Labio Leporino duplici, Naso fisso &c. Figura I Capitis faciem; Fig. II summitatem & partem posteriorem; Fig. III lateralem regionem, exhibet.

a. Tuberculum verrucam repræsentans.

b. Corpus pendulum, paleæ simile, inter nasi fissuram, Cap. II, §. V.

cccc.

c c c c. Margo cutis ſanæ, ambiens capitis deformem ſummitatem.

d d e. Deficientibus calvariæ oſſibus, cerebri corrupti, fungoſi, reliquiæ ſummam partem capitis replentes, & aliqualem hemiſphæriorum ſpeciem habentes, imprimis in Fig. II.

f. Lingua ruberrima, ex ore prominens.

TABULA VI.

Figura I exhibet cadaveris virilis Abdomen apertum, inque eo ſingularem valde Inteſtinorum Craſſorum Situm: Vid. Cap. III, §. II.

a a a a a Cutis, aliæque externæ abdominis partes, reflexæ.

b b. Pectus.

c. Pubis regio.

d. Os pectoris.

e e e. Cavum abdominis, reliquis viſceribus vacuum.

f. Inteſtini Ilei extremum.

g. Inteſtinum Cæcum.

h h h h h h Inteſtinum Colon, multis, magniſque, flexubus a ſolito ſitu alienum.

i i i i i. Ligamentum coli anterius.

k k. Strictura ejus colica violenta.

l. Adſcenſus ejus in latere utroque, in ſiniſtro usque ad diaphragma procedens.
m. Plica ejus inſignis in latere dextro.

Figura II ſiſtit alium Situm inſolitum Inteſtinorum: Vid. Cap. III, §. IV.

a. Inteſtinum Ileum.
b. Inſolita ejus dilatatio ante ingreſſum in Cæcum.
c. Appendix Cæci vermiformis.
d. Inteſtinum Cæcum.
e f g. Inteſtinum Colon, cum tribus flexuris.
h. Colon transverſum abſciſſum.
i. Ligamentum coli anterius.
k. Membrana celluloſa denſa.

Figura III tertium exponit Inteſtini Coli Situm alienum: Vid. Cap. III, §. VI.

a. Pars inteſtini Coli transverſi.
b. Colon ſiniſtrum abſciſſum.
c c. Ligamentum coli anterius.
d e f. Anſa ejus, cum arctis tribus plicis.
g. Meſocoli pars arcte nectens *d e f.*

TA-

TABULA VII.

Figura I delineatur ambitus galeæ Cranii, naturali magnitudine; Vid. Cap. XIII, §. III, N. VIII.

a.	Sutura ſagittalis.
b b.	Sutura lambdoidea.
c c.	Sutura coronalis.
d.	Os Wormianum ſingulare.

Figura II exhibet veſtigia Suturarum ejusdem Cranii, a parte interiore.

a.	Sutura ſagittalis.
b b.	Sutura coronalis.
c.	Os Wormianum, Fig. I, *d.*

Figura III deſumta eſt ex alio Cranio ſenili, eodem loco memorato.

a.	Sutura ſagittalis, fere obliterata.
b b.	Sutura coronalis.
c.	Os Wormianum ad utriusque ſuturæ concurſum.


Fi-

Figura IV sistit Costam octavam sinistram Vetulæ, in medio singulari Articulatione mobilem: Vid. Cap. XIII, §. X, N. IV.

a. Capitulum, quod corporibus vertebrarum adhæsit.
b. Superficies articularis, pro processu transverso vertebræ octavæ.
c. Costæ angulus.
d d. Sulcus marginis inferioris.
e. Cartilago, synchondrosin faciens, eminens a parte costæ interna.
f f. Capsula membranosa, periostio continuata.
g. Extremitas costæ ossea.

* * *
* *
*

I N-


Tab. VII.
Fig. I.
a
b
b
c
c
d
Fig. II.
a
b
b
c
Fig. III.
a
b
b
c
Fig. IV.
a
b
c
d
d
e
f
f
g
J.W. del.
A.D. fec.

TAB: VI.

Fig: I.

Fig: II.





Fig: III.



J. W. del.


A. D. fec.




TAB. V.
Fig. I.
Fig. II.
Fig. III.
A. Delfos ad Objec. fec.

TAB. II.

TAB. III







TAB. IV.






TA
A: Delfos Scu
nberg delin



INDEX CAPITUM.

I N-

INDEX RERUM

MEMORABILIUM.

Ca-

Ex-

Figu-

Hiſto-

Si-

Ve-

F I N I S.

COR-

CORRIGENDA.

Pag. 69 Lin. 18, Hiſtoriam, leg. Hiſtoria. Pag. 76 lin. 8, *Prolapſus*, l. *Proceſſus*. Pag. 79 lin. 11, & Pag. 82 lin. 2, Prolapſum, l. Proceſſum. Pag. 88 lin. 17, Uretheres, l. Ureteres. Pag. 106 not. (ι), Libr. VII, l. Libr. XII. Pag. 108 lin. 5, Veterem, l. Veterum. Pag. 112 not. (χχ), *Eſſay*, l. *Eſſays*. Pag. 134 not. (β), *Anno*, l. *Ann.* Pag. 168 lin. 10, haud adeo l. adeo. Pag. 190 lin. 9, Tab. III, l. Tab. VII. Pag. 220 not. (γ), PETRUS, l. GEORG. THOMAS. Pag. 258. lin. 19, *pag.* 56, l. *pag.* 55.

BIBLIOPEGO.

Tabulæ omnes ad Libri calcem ſunt ponendæ: ita ut II, III & IV conjunctæ maneant.

AAN DEN BOEKBINDER.

De Plaaten moeten alle agter aan 't Boek geplaatſt worden, zoo dat de II, III en IV aan elkander vereenigd blijven.

Ex Typographia BOLTIANA.





